


ipse similiter p didit debitu. ex de diuor. signi-  
effectu possit mulier peccare debitu. si non est  
**S** vir potest triplicare et dicere. ego ex tua  
publicu p sententiã. vel qz in iure ofeso. et  
adulterari et vir ei omiscetur in corrigibilibus  
crime ita manifestu est qz p textu ignoz. et  
**A** adulteram. nec ab adulterio desistente  
k. Aut abstinere. in sequenti caplo. si quis  
aut p et et erit vna pena. vel ibi lege et p  
alternacõne ut aut peniteat duobz anis. au-  
eo donec pegerit penitentiã. choetur. nã si  
**E** xpleatur. uel saltem in are. ec in fra  
igere debitu. ut ex de diuor. significasti. et  
ogno. ofang. c. veniens. quo ad debitu  
m. **R**õ ad imparia. hoc peniteat. fil  
ad debitu reddendu. quo ad diuorciu. qz


INSTITUTUM RECHENKUNDE

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS, CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Nd. 29.







EXERCITIUM  
ORATORIUM,

De optima puerorum disciplina,  
*In praesentia*

ANTISTITUM RELI-  
GIONIS ET MAGISTRA-  
tus politici habitum

IN SCHOLA HANOVE-  
rana, sub Χρησθησιν

*M. Henrici Holscheri*  
Rectoris,

à  
DISCIPULIS.

*Mense Marcio,*  
ANNO CHRISTIANO  
cl. l. cviii.

*Sua J. J. G. G. G.*

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.



AMPLISSIMIS

& prudentissimis viris,

Dn. BERNHARDO HOMEISTERO

&

Dn. ERICO RICHIO,

Cofs. nec non,

Dn. CONRADO BUNTINGO

*J. U. D. Syndico, reliquosq. Senatoribus  
inlyca Reipub. Hanno verana, patribus  
patriæ vigilantissimis, Dominis, promoto-  
ribus & fautoribus eternim colendis,  
S. P. D.*



Udistingis non ita pri-  
dem, viri amplissi-  
mi & prudentissimi,  
quas Discipuli sub  
ἀπαγγελία meâ composuerant  
oratiunculas: & audisse satis,  
ac plausus tulisse vestros illi  
mecum iudicabant: quod ita  
comparatas esse meminisse.

A 2 mus,

mus, ut tyronum opera, exer-  
citorum lusus esse possent;  
ideoq; nec patricii, nec eqve-  
stris; sed vix umbram prole-  
tarii aut plebei sermonis ex  
veteri illo Latio referrent.  
Quid enim ab hâc ætatuâ, in  
quâ, ut cum poeta loquar,

Ovid. i.  
de remed.  
amor.

*Et labor est unus tempora prima pati,*

elaboratum ingenio, perfe-  
ctum industria, arte expoli-  
tum potest expectari? Quo-  
circa prolusiones illas perpe-  
tuas potius damnare tenebris,  
quam seculo huic & criticis  
unguibus, etiam doctissima  
vellicantibus, pueriles hosce  
& inelaboratos exponere fœ-  
tus, nobis certum constitu-  
tumq; erat. Sed cum aliter  
aliis videretur, ex vestro eti-  
am numero, qui eas excusas

typis





typis his ipsis provehendis,  
& excitandis aliis utiles judi-  
cabant; benè monentibus bo-  
nis refragari morosè non de-  
bui: Quod enim benè fit bo-  
nis, ut ait Plautus, haud perit.  
Nullo ergo desiderio auræ  
popularis, vel gloriolæ vanæ  
(à quâ quantopere abhorre-  
am novistis, qui me propius  
novistis) has oratiunculas  
publici juris facio: sed ut in  
omni meo officio non pom-  
pam, sed usum specto: ita &  
hic *χρήσιμα πολλοῖν*, qui ejusmodi  
*εὐλακτηείοις* illecti, ad consimilia  
incitantur, ad ulteriora con-  
tendunt, cum vestrâ meâque  
voluntate conjungo. Eâ finî  
accipite excusas nunc orati-  
unculas, viri amplissimi &

A 3

pru

prudentissimi, quæ audientibus ingrata non fuerunt: & Scholam hanc, ut hæctenus, ita deinceps patrio favore complectimini. Sic valete felicissimè & diutissimè cum Republ. incolumi & florente. Ita opto, qui dabam has Hanoveræ ex musæo meo  
mense Majo Anno  
1608.

Vest, amplifs. prud.  
Observantifs;


M. Henricus Holscher  
Rector Scholæ.

PRO



# PROGRAMMA

## Continens hypotyposin exercitii.

 Uæ duo requirebat in viro docto  
Thucydides, γνώου το δέοντα καὶ Lib. 2<sup>a</sup>  
ἐρμηνεύει ταῦτα, scire videlicet ea  
quæ decet, & eadem eloqui; ad ea

L. B. juventutem nostram deducere conatus sum hactenus, & deinceps οὐν δεῶ  
annitar juxta illud Homericum nonnihil inflexum;

ὡς δύναμαι κλέσαι, καὶ ὡς τελεσμένον ἔσαι. Iliad. 3<sup>a</sup>

Ut facere id possum & fieri res ipsa poterit.  
Seqvor hac in re bonorum potius judicium & autoritatem, quàm malevolorum  
curo susurros: qui haud ab similes Astaphio illi Plautinæ, probè norunt.

Arridere quicquid veniat, blandèq; alloqui, In Truc.  
malè corde Añ. 1<sup>a</sup>

Consultare, benè loqui lingua—

Ideoq; superiore semestri exercitium Disputationis publicæ, in qua alterum illud Thucydidi- γνώσις videlicet τῶν δέοντων  
ταῦν elucere præcipuè poterat in medium protuli: & hac vice Oratorium orationi-

A 4 bus

bus octo homileticis concinnatū, in quo alteri, *diviculus* videlicet *egmuvd* impri-  
mis perspiciatur, producere ad proximi  
diei Jovis 10. d. Martii horam septimam  
matutinam constitui. In quo præcipuè  
dedimus operam, ut juvenus nostra &  
phrasium studeret puritati, & res non ineptas non ineptè, quantum hæc ætas facere potest, in periodos, ad imitationem Ciceronis congereret. Quorum

I. HARTVVICVS BISCVVANGVS nobilis Megapolitanus exercitii hujus commendationem instituet, & probanda exercitia oratoria docebit.

II. ANTONIVS RULMANNVS Hagensis, quæstionem orationibus sequentibus tractandam; *An pueri domi rectius & melius; an vero in publicis Scholis instituuntur,* proponet: & suam pro privata disciplina sententiam confirmabit.

III. JUSTVS—HEINO ab HEIMBURGK, nobilis Saxo, sententiam vicini approbabit, & pluribus privatam publicæ institutioni præferendam docebit.

IV. ZACHARIAS WEGENER Beverodensis contrariam sententiam asseret, & publicam disciplinam præferendam contendet.

V. MI-

V. MICHAEL EINSPERGIUS  
Holsatus eandem sententiam uberiori-  
bus rationibus luculentius confirmabit.

VI. CASPARUS THEODORI Be-  
verungensis argumenta pro privata disci-  
plina allata diluet.

VII. GERHARDUS BROCHUSIUS  
Oldendorpiensis in *ἑπιπέσει* utramq; in-  
stitutionem conjungendam svadebit.

VIII. ANDREAS NIGRINUS  
Schlaviensis brevi ligato sermone gratias  
dominis Auditoribus aget.

Ad recitationem harum orationum  
omnes Bonos & Doctos ad dictam diem  
& horam invito, & quantum possum ro-  
go, ut hanc nobis dent operam, quam fie-  
ri potest, frequentes: ut eo ipso juventu-  
tem ad hæc studia potro excolenda exci-  
tent. Ego vicissim ipsorum observantiam  
cum commodo juventutis conjungere  
deinceps labore indefesso non cessabo  
qui dabam has festinus ex Musæo

meo ipsis nonis Martiis

Anni Christiani

1608.

*M. Henricus Holscher Rector  
Scholæ Hanoverianæ.*

AD PUBEM SCHOLASTICAM,

**V**era loquar, sed pauca loquar, delecta juvenus  
Tu pare, & memori singula mente tene.

**HOLSCHERO** nondum melior (si vera fatemur)  
Te docuit calamos applicuisse stylo,

**P**ublica dum tradit, queis jungit priva, sed illa,  
Juncta operã, triplici fert triplicata loco.

**I**mmensus labor! at tenuis non gloria prãdit

**HOLSCHERO**, ex fructus, docta juventa, tibi.

**H**unc sequere, & ne præceptis parere recusa,

In Latio magnus, si cupis esse foro.


**T**u quoq; , que laudem spectas, patria alta, ly: ei

**D**octorum nunquam non meminisse velis.

**M**, Alexander Arnoldi Scholæ  
Hannoveranz Conrector.



ORATIO  
PRIMA COM.  
MENDANS HOC  
exercitium.

 M mibi à Praeceptore nostro  
cujus auctoritate atq; imperio no-  
stra omnium studia diriguntur.  
Auditores reverendi, amplissi-  
mi, prudentissimi, & doctissimi,  
mandatum esset, ut hodierno die, quo nonnulli  
exercitus nostri milites eloquentia certamina  
instituunt, de praestantia exercitii oratorii ali-  
quid publicè dicerem, & vestros animos ad ejus-  
dem amorem incitarem, & pro oneris suscepti ma-  
gnitudinem cum viribus meis sollicitè compara-  
re. Atq; primum quidem ita ratiocinabar, ut  
mibi nihil arduum aut difficile imposuim credere-  
rem: quia id mibi factu optimum atq; utilissimum  
fore arbitrabar, quod ipso auctore & tanquam  
auspice gereretur. Tum etiam quod factu fa-  
cile esset, Athenienses Athenis laudare, quod  
que quisq; amat, ea libentissimè laudari audire.  
Sig

## ORATIO

Sic & ipse mihi videbar facilem & expeditam provinciam suscepisse commendandi ac celebrandi apud vos ea, quae vobis omnibus in amoribus ac deliciis esse constaret.

Sed jam occurrunt alia, quae me commovent, nec quieto esse ac securo animo sinunt. Singula enim quae alicui ad dicendum accedenti impedimento esse consueverunt, ea sese mihi obijciunt universa. Siue enim ingenii imbecillitas afferre incommoditatis aliquid potest, exiguis instructus sum dicendi viribus: siue exercitationis tenuitas, parum in hac palaestra exercitatus, & parva rerum cognitione imbutus accedo: Siue aetas iudicii auget maturitatem, eam sum, quae & is qui potest me dicent, & forte aures me publico hoc in loco dixerunt, esse minor.

Quae cum ita se habeant à vobis omnibus contendo, ut hoc exercitium non ex mea dicentis oratione, sed sua velitis aestimare praestantia. Quod si facere studueritis, patebit merito id in scholis urgendum & omnibus modis probandum, ut rem praeclarissimam, ardentissimo studio summamque corporis atque animi contentione dignissimam.

Ac exercitii quidem huius effectorem si uincorem cum inquiturimus, deprehendimus Deum veluti omnium quaecumque mundi ambitu caeliq;



veliqꝫ complexu continentur, sic & huius aucto-  
 rem exister. Nam postquam homini rationem  
 & mentem animumqꝫ celestis natura ac divini-  
 tatis participem in se visset, aptumqꝫ fecisset ad re-  
 rum præstantissimarum cognitionem adhibito  
 studio consequendam: instrumentum etiam lar-  
 gitus est, quo de illis rebus disserere, easqꝫ cum  
 aliis communicare posset. Illud autem instru-  
 mentum communicandarum participandarumqꝫ  
 animi notionum orationem esse voluit: cumqꝫ cæ-  
 teris animantibus sonos modo quosdam dedisset,  
 quibus voluptatem, dolorem, desideria natura,  
 affectus deniqꝫ indicarent, distinctam homini ar-  
 ticulatamqꝫ tribuit vocem, qua ad ea quæ animo  
 concepisset patefacienda & in medium proferen-  
 da uteretur. Quare cum utraqꝫ vis divinitus  
 nobis est concessa & donata, pari studio & in-  
 dustria utramqꝫ excolere & exornare æquum  
 est; æqualis esse debet utriusqꝫ partis cura & ob-  
 servatio, ne per inertiam instrumentis illis à  
 Deo ad virtutem datis, abusi esse dicamur. Nul-  
 lo modo committamus, ut quemadmodum Ho-  
 mericæ Pallas Nausicaam objurgat, quod ve-  
 stes magni præcii sibi emptas à parentibus negle-  
 ctui habeat, easqꝫ illotas ac sordidas jacere patia-  
 tur; sic isdem nos aliquis possit objurgare, quod  
 donum

Odyf. 1.

## ORATIO

donum istud nobis à communi omnium parente  
**D E O**, multò q̄valibet veste pretiosius datum,  
 sicu ac sordibus obsolescere, q̄vasiq̄, rubigine ob-  
 duci patiamur. Sed potius ad disertorum palastrã  
 omnibus ob viam & expositã proficiscamur, in ea  
 q̄vasi coitione q̄vadam facta pugnemus, ut tandẽ  
 victoriam nanciscamur, & premia satis ampla  
 reportemus. Quod si animantes q̄vibus ratio  
 deest, & nullo modo comparari componiq̄, homi-  
 nis præstantia possunt, non sunt inertes, ignava,  
 somniculosæ, sed facultates suas à natura attri-  
 butas exercere; anne multò magis par est ho-  
 minem amplissimas animi doctes, q̄vibus illis  
 præstat, & præcipue ab iis discernitur, rationem  
 videlicet & rationis interpretem orationem ex-  
 colere? Omnes sanè homines, q̄vi sese student  
 præstare cæteris animantibus, summa ope niti  
 decet, ne vitam silentio transigant. Id maxime  
 fiet per hanc declamandi rationem, dicendi usum  
 atq̄, consuetudinem assiduam, sine q̄vã rerum  
 cognitio q̄vã ex artibus ac disciplinis paratur,  
 inanis, vana & infrugifera est. Tantum enim  
 q̄visq̄, in litteris profecisse videtur, q̄vaneum di-  
 cendo scribendoq̄, exprimit.

Videmus multos in iis occupari studiis, q̄vã  
 muleum habent cædii, muleumq̄, anxietatis &  
 mole-

Sallust. in  
 conjur:  
 Catil.



molestie, minimum verò impensi laboris fructum, annon justius in eis muleum opera curæq; ponemus, quæ difficultates non adeò magnas habent, utilitates verò maximas vicissim nobis afferent, & fructu suo uberrimo non carebunt? Hoc exercitationis genere eloquentiam, quæ rerum omnium (divina semper excipio) sine controversia præstantissima est, nobis comparamus. Eloquentia, si ve quæ utilitatem sequatur, nihil fructuosius, si ve memoriam sui quàm maximè longam efficere studeat, nihil illustrius reperiri potest. Hujus præsidio fulciri Respub. conspiciamus, omniq; inter cives & populares tranquilla præstari & pacata, & privatorum vita nullis præsidis sepe parata patrociniâ. Non diu Atheniensium urbs ab Alexandri Magni armis fuisset incolumis & cura, nisi eam Demades oratione sua ab armorum periculis & obsidione liberaasset.

Quam multos imminentiâ damnationis periculo Ciceronis verba subtraxerunt, quæ omnes justo supplicii genere affecti, & e medio sublatis fuissent, nisi Cicero eorum patrociniû atq; defensionem suscepisset, & eloquentiâ ac sapientiâ suâ, tanquam duabus validissimis machinis iudicium animos expugnasset, ut nexos vinculis incol-

Vide Di-  
odor:  
Sicul:  
lib. 16.  
Philip:  
lib. 2.  
Chron.

ORATIO

columes abire permiffent. Nullo melius artificio incondita multitudinis animi furore accenfi regi ac mitigari poffunt, quam majestate verborum. Non enim minus, errore, vi, fevitia, ferro, fuppliciiis femper coercentur fubditi, fed placidis verbis, oratione medicata, vultuq; ad gravitatem & conftantiam composito ab improbis conatibus ad officium facile revocantur. quemadmodum ille omnium optimus poeta canit:

**A**Encid.

1.

Magno in populo cum fepe coorta eſt  
Seditio, fevitq; animis ignobile vulgus;  
Jamq; faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat;  
Tum pietate gravem ac veritis ſi forte virū quem  
Conſpexere; ſilent, arreſtisq; auribus aſtant:  
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

**Valer.**

**Max lib.**

**3. cap. 9.**

Quam diſcretum fuiſſe **M. Antonium** putamus, quem ne hoſtium quovisq; occidere ſuſtinuit, quomodo vocem ejus ad aures ſuas voluit admittere? **Marſani** enim & **Cinnani** milices civilis profundendi ſanguinis cupiditate furentes, & ad **M. Ant.** oberuncandum à ſe viſiſſimis ducibus miſſi ſermone ejus ita obſtupefacti ſunt; ut diſtictos jam & vibrantes gladios cruore vacuos vaginis reddiderint. **Spes Romani imperii** in ipſo penè ore ſuo corruiffet, ni **Valerii** ſubveniſſet eloquentia. **Is namq; populum** nova & inſolita liber-

libertate temerè gaudentem, oratione ad meliora  
& saniora consilia revocatum senatui subiecit,  
& sic verbis facundis, ira, consternatio & ar-  
ma cesserunt.

Quæ si parva videntur & singularum patri-  
carumq; personarum propria; videte utilita-  
tem in omnes vivendi rationes porrectam, in-  
primis ad studia τῶν ἡγεμονίων adeò directam,  
ut tam Theologis, Jureconsultis, Medicis,  
quàm cæterarum artium doctoribus ad obeun-  
da munia plurimum adjumenti adferat.

Quomodo Philosophus distinctè ordinateq;  
dicendi præcepta explicabit; quomodo rerum  
admirabilium quæ in terris mundoq; sunt, cau-  
sas aperire, quomodo herbarum, stirpium, ani-  
mantium, ortus, progressus, naturas, vires, uti-  
litates prosequi; quomodo de officio de viren-  
te, de ratione instituenda vitæ, de moderandis  
affectibus disputare poterit, nisi prius in hac de-  
clamandi officina sic politus ac limatus? Quid  
dicam de Sacerdotibus? Illis qui necessariam  
esse negat eloquentiam, is docere auctores, mo-  
vere & delectare necessarium negat. Licet enim  
verba ea non docet humana sapientia, quibus  
corda auditorum convertuntur, tamen usus elo-  
quentiæ, qui est ministerium in explicando sensu

1. Cor. 14  
ver. 13.



ORATIO

2 Tim 2.  
vers. 15.

literali, non magis negari potest, quam τὸ ὄρα  
 βοτομῆν, quod requirit Apostolus. Exempla  
 requiritis? Paulum ipsum, quem dixi, inspicite.  
 quanta vir facundia! quam excellens! quam  
 admirandus! Augustinum audi vultis, cum omni-  
 um maxima conceptis votis optaret, hunc in  
 suggestu audire cupisse, Ab hoc si abitis, quan-  
 tus Johannem illum eloquentiae viribus prae-  
 cum putatis fuisse, cui ab aureo dicendi genere  
 cognomen datum est? Sed quid exemplis im-  
 moror, quotidiana docet experientia, quid elo-  
 quentes viri in Ecclesia possint, quanto doceant  
 cum fructu. Ad Jurisconsultos accedo. Quis eo-  
 rum legationes prudenter obire, & res optime et  
 cum gloria conficere posset, nisi hac dicendi fa-  
 cultate esset instructus? Raro Jurisconsulti si-  
 multates ac contentiones quae inter cives & alios  
 incidunt, sopire, offensiones diluere, dissidia com-  
 ponere, dirimere lites & controversias, sedare  
 discordias, sarcire concordiam, pacem inter con-  
 tentiosos ac dissidentes conciliare possent, nisi  
 oratione & compta & nitida essent excultri. Ar-  
 tis medicae non dissimilis est ratio, nam quod dicens  
 di facultate ornatus fuerit medicus, aegrotis mo-  
 rosiorebus facile curationes adhibebit, nauseantes  
 & morbo sensusque stupore suavitatem cibi nullam  
 sentien-

PRIMA.

sentientes ad potiones vel in vino palata Sorbil-  
landas, adducet, sp̄o vice abjicientes oratione sua  
eou remedio eriget: siq̄ videm ex proverbiali sen-  
tentia, animo aegroto medicus oratio est.

Jam si quis oblectationem sequatur, nihil sua-  
vius aut jucundius est eloquentiâ, nihil quod  
magis auditorû animos allicere atq̄ inflamma-  
re possit. Magna quidem sua vias instrumentorû  
Muscorum, magna in harmoniis avicularum,  
at hæc ex altera parte cum eloquentie jucundi-  
tate collata vix minimi momenti instar habet.  
Hinc de Pericle legitur: quod veteris comædiæ  
maledica lingua, quamvis ejus potentiam per-  
stringere cupiebat, tamen in labris ejus melle  
dulciorem leporem confessa fuerit habitare, inq̄  
animis eorum, qui illum audierant quasi aculeos  
quosdam relinq̄vi prædicavit.

Valer.  
Maxim.  
lib 8 c. 9.  
Plutar.  
in vita.  
Cic. in  
Bruto.  
3. de Ora.

Hinc summos clarissimosq̄ viros ab ea minimè Sueton.  
abhorruisse accepimus. Cæsar Caligula non solum in Calig.  
in ea sese exercuit, sed etiam alios ad declamandum cap 20  
incitavit. Lugduni enim aram extruxit, ad quam Juvencus  
eloquentiæ certamina fierent, itaq̄ vidè ut victor lib. 10  
muneribus amplissimis afficeretur: victus vel lin-  
gua sua orationem deleteret, vel ter in arari demer-  
geretur. Demosthenes aliq̄; plurimi declamitare  
sunt soliti: ipse Cic. cuius meritò apud omnes va-  
lere debet autoritas, non Romæ solum verum et

Cic. in  
Bruto.

B 2

Athe.



## ORATIO

*Athenis & in Asia declamando se exercuit & quodam etiam in loco faceret, aridam atq; jejunam orationis suae futuram facultatem fuisse nisi ad declamandi sese exercitationes concu- lisset. Quanta corporis animiq; contentione*

*Demosthenes, cujus commemorato nomine maxima eloquentiae consummatio audientium animis oboritur, facultati dicendi in vigila vit, quam fortiter praeliatus est contra rerum nau- ram, & quidem victor abiit malignitatem ejus pertinacissimo animi robore superando.*

Cic. 1. de  
Orator.  
2. de Di-  
vinat.  
Va. Max.  
lib. 8. c. 7.

*Sed me temporis angustia cogit esse brevior. Vereor enim, si longius orationem producere voluero, ne vobis molestia sim, & is qui post me dicendi partes suscipient impedimento. Satis apparere arbutor, institutum nostrum culpari nullo modo posse, quod non solum animum ornare & expolire potest, sed etiam homines in admirationem adducere solet, & maximam plurimis utilitatem afferre.*

*Quare vos omnes rogo, ut sicuti exiistis, porro huic studio favoreis, & dum ejus specimen aliquod edicitur, mihi succedentis studium attentione vestra excicetis, attentionem silentio indicetis.*

Composui & recitavi

Hartuicus Bischvvangius  
Megapolitanus.





# ORATIO SE- CUNDA, PRO IN- stitutione privata.



*Archimedes quondam, Auditor. P. Rati-  
res, Sphaera ac Cylindri ratio- mus in  
nem sepulchro suo inscribi vo- praefa-  
luit, sc. in cuius inventione ela- tione  
borasset vehementius; me si de Dialect.*

veterum virorum monumentis interrogatis, unicus ille Patriae pater Cicero ex artis Oratoriae institutione ejusdemque exercitatione sepulchri sui columnam suo prope jure desiderare videtur. Respondent de voti causa qui per manus ad posteros, & ad nos etiam per illos pervenere divinitus scripti libri, nec ii solum, quibus eos praecleara nobis offerunt exercitia, verum illi qui viam monstrant, quomodo ea qua mutanda etiam alius proposuit, assequamur & ad consimilem modum alia etiam consingi queant. Nos igitur quibus eum quodammodo sequi mens est, id solum agamus oportet, ut nullum aetatis nostrae tempus à talibus abhorreat exercitiis, ne cum omnia ab ipso prius sint suppeditata ipsi nobis defuisse videamur.

B. 3.

Quam

## ORATIO

Quamquam autem multa sint quae ad eiusmodi exercitium facere & plurimum etiam leporem ipsi exercitio conciliare posse videntur: haec tamen imprimis à multis hactenus variis infestata & agitata modis quaestio: Sine tutius domi residere studioq; vacare, quam si in publicum exi-  
 tudantur, ibidemq; doceantur discentes; haec inquam quaestio optimam quandam exercitatio-  
 nis praeseferre speciem, Quippe, quae commone-  
 fiant studiosi adolescentes (si vera fateamur) sine disciplina illa sub qua militant, vel probanda  
 vel improbanda, & si sub illa, quae nostro consen-  
 su defendi nequeat, deprehensi fuerint, videant  
 eandem cui fidant, & si cui tuto fidant, videant  
 magnis deinceps feliciter ausis susceptum pro-  
 gredi faciant opus. Sunt autem quibus non ea-  
 dem de iisdem est sententia: aliorum pro parte  
 affirmante militant rationes, alii uno ore de par-  
 te negante consentiunt: & sunt qui vesperilio-  
 res facti, nec in affirmante plane nec in negante  
 sunt sententia. Nostri quid sentiant expectatis  
 auditores? Nobis inquam mens una est, ut nec  
 latum, quod dicitur unguem, ab affirmante, quae  
 privatam publicam longe anteferimus institutio-  
 nem abicedere cuiq; fas esse putemus. Sciant igitur  
 qui veritatis discipuli esse malunt quam er-  
 rates Magistri, sint licet numero non pauci qui  
mane

manifesto errori patrocinetur, & alios erroris insimulant suos ut lateat error; hanc ingentem quam secum trahunt sinistri illi rerum aestimatores errantium catervam, huic suo errori & crasso & probabili non parere patrocinium. Nec obstat quod de more nescio quorum exemplis du-  
 Et, omnem ferè operam in Scholis publicis perdant, præceptores, neq; is verè docti nomen meruisse videatur, nisi maximam vitæ partem in Scholis publicis triverit, siquidem cum non nostra tam humi repat sententia, ut more tyranno sæpius pessimo rei metiatur veritatem. Ego vero non tam exercitii quam eruenda veritatis gratia, quæ verisimilior & pro privata faciat institutione, suis sententiam roboratam fundamentis ventilandam adversarius exponam, ita tamen ut pro veritate induant arma rationes non ita adeo vana.

Vos, auditores spectatissimi, me, ut qui *Ovid.*  
 Magna paro — quæ non viribus ipsis  
 Conveniunt, nec tam puerilibus annis.

Pro vestra in nos omnes humanitate ita audietis, ut non quis, sed quid dicã accendatis, Quod si mihi à vobis tribui sensero, spero fore, modo vera fateamini, si quid dignitatis & honoris non nihil ex artium liberalium studiis ad vos redundarit, id ulro private acceptum referatis institutioni. Principio igitur cū jam in omnes & per

## ORATIO

*Erasmus omnia furis comitata grassetur si Diabolus ne  
 Rotterod. nihil neq. dicere neq. facere tutum sit, nisi sciet.  
 in Collo. hinc forte muniatur. Quanquam du boni quid  
 satis esse tutum possit aduersus Siophanzarum  
 morsus, qui velut aspis ad vocem incanzantis  
 ita ad omnes rationes justissimas quam vis obeu-  
 rant aures. Huic autem ut modeamur malo hoc  
 imprimis non solum utile sed etiam necessarium  
 ducimus, ut in nostris quacumq. etiam sine actio-  
 nibus, illud arte teneamus accurateq. defendam-  
 us, ne solum videamus, quid factum sit, & eri-  
 am num fiat, sed quid jure fieri debeat, quid ve-  
 recta possulet ratio. Hac autem non nostro nutu  
 flecti debet, sed veterum, veterum inquam, sa-  
 pientum virorum, qui jam raræ sunt in terris  
 aves & nigro similimi cygno, ut ait ille, nitatur  
 testimonis. Quanquam enim tam prisorum  
 quam nostram ratio importuno nimis Proto-  
 platorum lapsu sit destructa penitus, & lumine  
 nativo, quo jam indigæ, privata, hoc tamen nosse  
 debent aduersarii, qui prorsus veteres loco limi-  
 tes movent, quo propius aberant veteres ab ortu  
 hominum hoc magis quod verum videre potuis-  
 se. At ò nostrum in diuersum valdè mutata  
 est ratio, quoq. à lapsu absumus longius, hoc ma-  
 gis eadem errori obnoxia quin sit, nemo sanus  
 infi-*



SECUNDA.

infruiatur. Neq. n. illud à Tertulliano frustra dictum putamus, qui illud demũ censet verissimum quod sit antiquissimum. Jam vos qui huc conuenistis ad versariu videre, videte inquam diuine legis, si ignoratis quam non sit à veteribus recepta, sed improbatã, quam ita præfractẽ ruemini, sententia. Qui fuerint illi queritis? Ecce verò de nostro nomine respondebunt Biblia, quæ in Adamo & Noab primi mundi hominibus, quendam private institutionis modum, non solum ut antiquissimum, sed in Abrahamo, utpote optimo offerunt, qui diffusi publicis istis congressibus, quos nequitia officinas fore prospexere domos suas Spiritus sancti officinas, constituerunt, ibidemq. quisnam verus de vero Deo sensus esset una cum artibus & moribus, qui liberos decebant, fideliter inculcarunt. Et certum est Adamum, qui ut ait Poeta

Lotichi. prima stirps sexu de meliore fuit, cum adhuc lib. 2. ele-  
unicus naturæ vultus esset in orbe, filios suos primogiar. de  
mogenitos in cespice viridi sedens, astra cœli do- naturalẽ  
cuisset, illum nempe cuius nutu moventur hyde- suo.  
ra subindicans. Egregiam verò doctrinam dixerim Ovid. lib. 1. Meta-  
ab optimo profectam Magistro; Et num morph.  
quid ad versarii Adami liberis potuisse accidere  
operatus putatis, quibus à Doctore diuinæ rum  
B 5 sapient-



## ORATIO

sapientia pleno nec muneris sui immemore parente doceri contigit no vii is ex affectu pater no insito, & divino instinctu qualem se liberis suis præbere deceat parentem, no vit inquam quod filios genuerat natura esse quod statim e sinu matris egressos, honestissimis disciplinis imbueret, id esse demum vere pietatis. Et propterea non est quod parentes liberorum naturam si vel parū vel omnino nihil in publico catu profecerint, incusent; hoc magni refert unde pietatis & eruditionis elementa primum hauriantur, cum quem ad hoc nanciscantur pueri, præsertim rudibus illis annis quibus ingenium etiamnum vitius purum, veluti cera mollis & omnem fingentis habitum sequax est, & obscurans.

Virg.  
lib. 6.  
Aeneid.

Hoc opus, hic labor est: quamvis pauci hoc potuerunt. Meminerint ergo ii, qui tenerrimam & floridam ætatem. Christo, ut surculi arboribus inferendam in Scholam publicā, imò verò ad publicā nequitia mercaturam ablegant, ubi mulcum superstitionis habent discipuli & summo cruciatu nihil serè discunt nisi dediscendum, an veri parentis nomen mereri possint, qui corpora nuda quidem sustentant, animum autem Deus bone, quot rerum bonarū egenum! in liberis negligunt. Non illi naturalem in liberos sōg, nō sentiant oportet, Quippe



SECUNDA. 9

Quippe cū natura nihil illis jucundius, nihil carius esse voluerit, nihil dignius in quo omnem diligentiam, indulgentiamq; consumant, quam in charissimis filiis erudiendis. Agite igitur vos patres, fateamini ingenue, anne boni & liberalis parentis esse putatis quem procreavit & educit eum non vestire & ornare, praesertim cum se locupletē esse negare non possit, iniquum illum & indignum filio dicitis parentem? Vos videbitis anne propterea filii parentes charissimos habere possint? an debeant? Quod vita solum patrimonium libertas & civitas à vobis tradita sit, si animum ab omni disciplina & à moribus alienissimū senserint. Non profectò vestra vos commendabunt filii insignia aut aedum si quas relinquitis parietes clypeis & imaginibus depicti. Quas ex vobis didicerint virtutes, ea vos commendandi nativae erunt materia.

Hoc patriū est (inquit Tere.) consuefacere filium Terent.  
sua sponte recte facere quàm alieno metu. in Adelp.

Hoc pater ac Dominus interest hoc, qui nescit  
Fateatur nescire se imperare liberis.

Quoniam autem etas parentum pejor avok ut habet Horat:

Tulit nos nequiores: mox duros Horat.  
Progeniem vitiosorem. Od. 6.

vel ut equis nostris idoneum deligimus curatorem, efficiunt patres illi quos laboris quamvis debiti

lib. 3.



## ORATIO

*hici piger, & onori tam sancto, cervicem subdere  
 recusant, nec cuius Asino carissimos liberos  
 committant, neve plagoso ceu publico alicui  
 praeceptori in doctrina tribuendos culinaria  
 eradant, & ad antra eorum, in quibus deblate-  
 rant, ablegent, quae ceu furiarum regnum misero  
 ejularu undiq; personant, sed tali eradant docto-  
 ri, qui in ipsius parentis affectum abire queat.  
 Ita fiet ut discentes praeceptorem non tanquam  
 carnificem, sed veluti parentem observare di-  
 scant, & sic ad veterum consuetudinem & opti-  
 mum institutionis modum accedent propius.  
 Eheu v. diversum valde sentiunt adversa-  
 rii, qui & cadendi sc̄viendiq; necessitatem in  
 puerorum ingenia transferunt, quos ceu Phry-  
 gum filii, nisi plagis concisi nunquam resipisce-  
 re & emendari posse arbitrantur. At quo can-  
 dem ore dicere belluae vos, flagris discipuli requi-  
 ritis officium, vos ne praeceptoris officium pra-  
 stare videmini? Quod si, Audicores, plagoso illi  
 compotatio contigerit largior, jam pueris etiam  
 instat viciae periculum, & rideatur, hoc nisi per-  
 enulta sint exempla infelicitum, quos doctoris  
 perdidit emulencia, & hoc si praecaveatur ma-  
 xime, Deus bone quantam tamē nequiciae fene-  
 stram pueris patefacit, dum tantum morum bo-  
 norum.*





norum si ita placet, is existit exemplar: dum  
 neq; pes neq; manus suum facit officium, hic ta-  
 men pulcrè sibi videtur sobrius. O utinam im-  
 portune præceptor pecus durinum potius, uti-  
 nam inquam dignus aliquando factis tuis bonos  
 contingat, compellarisq; pro solèis ac scandalèis  
 perones, ligonem pro ferula vel scuticam acci-  
 pere, istosq; ornatu ex antris istis immanibus, rursus  
 extrudaris, ut sitis, cui natus es alligeris. Et an-  
 mores honestos disciplinarum finem dicis? Quan-  
 to tutius erat tibi, nosse modum principia quam  
 fines. Anne propterea esse inventas discipli-  
 nas arbitraris, ut flagris ingeniosi & benè nati  
 adolescentes lanientur, in malos mores qui jam-  
 dudum in floridam irrepsere ætatem erat ani-  
 madvertendum, sic te verum disciplinarum fi-  
 nem affectum dixerim, at tu cum sis indoctior  
 quam ut tui admiratione pueros attentos habe-  
 re possis, & insulsior quam ut à quocq; eorum  
 amari queas, quæ tua tandem de moribus erit  
 disciplina. Hoc, hoc igitur diligenter præ-  
 cavebunt præceptores privati, ut si quam vitio-  
 rum contagiem ex aliis sibi contraxerint pueri,  
 eam eluant, si quos malos mores ex publico  
 cætu domum secum ferant eos eradicent penitus,  
 ne cum in iisdem altis agere radices ceperint,

illud

ORATIO

illud volentes volentes audire cogantur:

Horat.  
lib. 1.  
epist. 2.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem  
Testa diu. — — — — —

Et cum demum florebit tenera aetas si ita virtu-  
ti adulescat & hoc praeceptor curet maxime, ne  
quid, ut Juvenalis ait:

Juvena,  
lib. 5.

Dictu scedum visusq; ea limina tangat  
Intra quae puer est; procul hinc, procul inde  
puellae.

& puero si quid turpe pareat, obftet parens.  
Ubi vero pueri adoleverint & se male moratos  
sentiant, en quid videtur adversarii, quos tan-  
dem de suis malis moribus accusabunt? Nonne  
quibus olim traditi fuere praeceptores publicos.  
Contra si quae morum bonorum in aliis appare-  
bit species qualiscumq; etiam illa sit, utri tandem  
disciplina se gratias debere maximas facebun-  
tur. Publica ne an privata vobis exosa nimis?  
Non video equidem quam sibi laudem mereatur  
publica illa & inanis de qua tantopere gloria-  
mini disciplina, si quae ad vitam honestam ex li-  
beralibus artibus accesserit morum civilitas &  
si nullus recte vivendi modus à nobis observari  
potest, id omne suum ducit, sibi suo quasi jure  
vendicans, privata institutio. Hic rursus mihi  
cachinnum tollet, opinor, malevoli, ex isto nimis  
rum ordine qui censent:

Publi-



*Publica privatis anteferenda bonis.*

*Megex ludis literariis theatrum facere clamitabant.*

*His vero quomodo à doctioribus etiam occurrere queat, facile video, quamvis non sit hujus loci, nec ea mihi mens sit, omnia adversariorum dicta refellere, hoc tamen dicam; Perire victus, perire amictus, perire sumptus omnes hactenus in bona spei adolescentes collocati, quibus ii qui de rebus rectius sentire videntur, liberos suos fideliter erudiendos commiserunt, si quid privata institutioni detractum velimus. Cur non ingenue explodimus eos si vel parum vel nihil omnino ad morum emendationem & facillimam & optimam literarum cognitionem facie eorum disciplina, quid tandem obstat quod viri principes liberos suos in scholis publicis, quas Academias vulgo vocant erudiri nolint, Vos vidistis viri ante hæc, videtis etiamnum, quam pauci optatum illum studiorum fructum assecuti sint, qui tò à patribus veluti ad bonarum artium, se ajunt, mercaturam ablegantur, hoc vidistis, videtis quotidie, ut aliorum pravitate corrupti ad quodvis facinus aggrediendum evadant idonei. Sic qui futuri erant Theologi rede-*

*unt*

## ORATIO

Vix inde <sup>μολοι</sup> facinorosi, qui juris tantū periti  
 debebant, ii omnium nequitiarum & scelerum,  
 quorum messem jam licet metere maximā, pro-  
 deunt peritissimi. Qui Medici viri omnium do-  
 ctissimi esse debebant, ii præter suum Recipe  
 nescio quibus præcellunt artibus. Prædatores  
 sunt non segnes decoctores eximii, commessato-  
 res peritii, quid multis? Cum schola non pro-  
 ficeantur nisi septem artes liberales, hic tenent  
 plus quam decem illiberales, & hæc res dum hoc  
 mundi theatrum supererit, ageatur eadem nō fa-  
 bula. Et hæc disciplina publicorum hic unicus  
 ille scholarum publicarum fructus est, sic ibi  
 instituuntur adolecentes, & hoc miramini audi-  
 tores? at, inquam, ego non mirum est quod hi  
 neglectis necessariis ad ludicra & ea quidem  
 que maximè studioso iuvene indigna desleant.  
 Quomodo enim unicus vel plures etiam præce-  
 ptores in tantum tamq, ingens discipulorum ag-  
 men vires suas exerere poterunt, quibus dum  
 honestatis repagula excusserunt, Præceptorū  
 quamvis optima sæpe momenti obsequi, religio  
 quasi est: & si poterunt maximè quomodo ta-  
 men illis, ut qui plurimis intentus erit ad singulā  
 sensus. Tale autem ut de privata vereamur di-  
 sciplina non est, (Quamquam quid hic meuen-  
 duū



SECUNDA.

am ubi tranquilla omnia.) Hic vera virtutis  
 vigor, hic Musa cum gratia in teneram sua cer-  
 ratim transferunt munia aetatem. Illic malas  
 illas bestias suis maleuada Thesiphone exagitat  
 furis, hic morum candor egregius: Illic bone-  
 statis eheu quam fœda facies, hic pietatis ardor  
 & ad imbuendum in literis juventutem occasio  
 commoda. Illic desit pietas, desit honeste vi-  
 vendi ratio, & flos doctrinae caducus brevisq;  
 fuit.

Non aliter sensit summus ille patriæ parens Ci. In Ores.  
 tero, Domi, inquit, delectant studia non impedi. pro Arc.  
 unt foris, adversis perfugium & solacium præ-  
 bent.

Ergo si quid prospere cedit, si quis ex mori-  
 bus honos, ex doctrina qualiscumq; vitæ emen-  
 datio acquiratur, id suo quod jure privata  
 sibi vendicat instructio, & qui quid in studiis  
 est prosperè gestum id pene omne ducit suum.  
 Ejus gloria adolescentes quam ex liberalibus a-  
 dipscimini artibus, hæc socium habet neminem,  
 eorum hoc quantumcumq; est, quod certe maxi-  
 mum est, eorum inquam ejus est, nihil ei ex istâ  
 laude malevoli, nihil discipline publicæ, nihil  
 debacantium Academicorum cohors deter-  
 punt. Quin etiam illa ipsa morum regula ve-  
 herat.



## ORATIO

neranda antiquitas se in ipsius societatem gloriae  
non offerre, et cedit, ejus esse eorum ac propriam  
facetur.

Concludo cum poeta:

Virg.  
Eclog. 1.  
Ante leves ergo pascentur in aethere cervi  
Et freta destituent nudos in littore pisces  
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Sic me juvit A. sententiam nostram, ut initio  
dixeram, adversarius pro lubitu exagitandam  
exhibuisse, paucis quidem munitam rationibus.  
Ut autem manifestior fieri veritas, neve quic-  
quam veterum detrahatur authoritati qua tan-  
quam fundamento innititur haud nobili; hanc  
meam vicino eradam Provinciam, qui quae ne-  
glexi ego & satis assequi nequivi demonstra-  
bit plenius & rei per se manifeste  
satis fidem conciliabit.

Composuit & recitavit.

Antonius Rulmanus,  
Hagensis.

ORA-

ORATIO TER-  
TIA PRO EA-  
DEM.



*S*olon, audicores reverendi, am-  
plissimi & doctissimi tuq; o pubis  
litterarum eobors mihi conjunctissi-  
ma, Solon inquam, coram rege

Lydorum Cræso, Tellum Athe. Herod.  
lib. 1. p. 6.

nion sem beatissimum prædicabat, quod & obitu  
splendissimo pro patriâ occubisset, & filios su-  
perspices reliquisset, pietate & virtute præcel-  
lentes. Vir sapientissimus est thesauros regios  
inspexerat, peragrarat florentissimum regnum,  
viderat Regem magnificè & tranquille omni-  
bus imperantem: His tamen omnibus obitum  
beatum & beatiorum jure optimo præferebat.  
Nam, ut prius præteream, quod Cræsus ipse  
rogo impostus verissimum & certissimum esse  
confessus est, posterior beatitudinis pars tan-  
ta est, ut si hanc quis consecutus fuerit, liberòs  
dico eruditione & virtute florentes, is consecu-  
tus id videatur, quod præter salutem æternam Valer-  
omnes unice quarunt. Neq; illud ipsum est in Max. lib.  
quo Cornelia Gracchorum mater triumphabat. 4. cap. 4.

C 2

Cum

## ORATIO

Cum enim Campana matrona apud illam ho-  
 spita ornamenta sua illo seculo pulcherrima  
 ostenderet, traxit eam sermone, quousq; è scò-  
 lã redirent liberi: Et hæc, inquit, ornamenta  
 mea sunt. Ex quo intelligere licet, et aurum  
 regium Cræsi fiscum, aurea Tantalii talenta,  
 magnificas Persarum gazas, & toto orbe de-  
 cantatam Arabum felicitatem infinitis modis  
 exsuperantem esse bonorum parentum liberos.  
 Quæ sicuti numinis benignitate ipsis contige-  
 runt; ita divino & humano jure curare tenen-  
 tur, ut bene iudem habeantur & educantur, nul-  
 liq; rei majorem laborem, quam institutioni libe-  
 rorum recta & commoda impendendum esse ab  
 omni ævo sapientissimis semper visum est. Id-  
 ipsum verò privatimne & domi rectius, an pu-  
 blicè & in scholã commodius fiat, quæri audi-  
 stis. Ac mihi quidem publicã privata semper  
 visa est potior disciplina: Ideoq; quæ meus in  
 eam sententiã dixit commilito, ratio habeo ac si  
 ex tripode Apollinis essent prolata. Quibus  
 nè & vos diffidere possitis, quantum poterò cum  
 diligentia curarè, tum voce contendam, ut disci-  
 plina privata, quam à pueris amo, primas assi-  
 gnandas esse partes existimatis. Neq; id sane eã  
 sine quasi commilitonem suis defunctũ satis su-  
 per



perq; partibus dubitē. aut attribuo sibi tempore  
aut loco quicquam aut dixerit alienum, aut o-  
miserit dicendum: sed ut videtis saltem, veri-  
tatem non uno tantum aut altero, sed plurimis  
imō infinitis stipatam esse firmamentis: Quis  
tamen omnia persequi jam non lubet. Hoc enim  
si facerem & me dicendi & vos caperet cadium  
auscultandi: imō.

Ance diem clauso componat vesper Olympo.

Quocirca quod facere solent ii, qui urbes deprimunt, cum singula exprimere non possunt. praecipua & maxime eminentia exprimunt: idem  
Virg. 1.  
Aeneid. :  
Flor in  
Prologo.  
dum in hoc rerum pulcherrimarum cumulo  
versor, mihi faciendum dūxi: Quo si modo mihi,  
sicuti vicino meo patulas & bene volas praebue-  
ritis aures, efficiam ut quaedam ex praecedente ora-  
tione concepistis sententiam, eam hinc alius  
mentibus vestris infigatis, institutionemq; pu-  
blicam privatae longe lateq; omnino esse posse  
ponendam judicetis.

Sanè omnes, qui vel micam sanae mentis &  
judicii sani habent, hoc mecum fateantur necesse  
est, eadem esse eligendam instituendi rationem,  
eade docendi viam, quae sit expeditissima, quā &  
faciliori labore & brevioris temporis spacio, di-  
sentium animi ad aliquam eruditionem perdu-

## ORATIO

Hippoc. *ti queant; Nam vitam brevem & artem lon-*  
 Aph. 1. *gam esse, non minus utiliter quam scite admo-*  
*dum & eleganter in principio. Aphorismorum,*  
*magnus ille medicorum princeps Hippocrates:*  
*& dixit, & tot jam elapsa hominum secula com-*  
*probarunt.*

Hanc igitur sententiam si ob oculos no-  
 bis ponere, & ejus artis vel studii, cujus desi-  
 derio tenemur, amplitudinem, & vite nostra,  
 cujus arctissimis spatiis includimur, brevitatem  
 probe velimus considerare, sanè, ipsa sa-  
 na nobis suadet ratio, ut eam eligamus institu-  
 tionis formam, eam præferamus docendi viam,  
 quæ ad augendum studiorum nostrorum profe-  
 ctum sit accommodatissima, quæq; adjumenta  
 consequende rerum omnium cognitionis habeat  
 optima, quo citius vanitatem veritas, opinio-  
 nem scientia, vicia vincat honestas. Quod si  
 autè omnes cognitionis acquirende vias, omnes  
 prævitæ excuende rationes, utramq; compa-  
 randa virtutis disciplinam animo & cogitatio-  
 ne quisq; percurrat, studiorum adjumenta, &  
 sic quoq; eorundem augmenta in privata faci-  
 lius & commodius quam in publicâ institutione  
 dari & haberi, nemo est, qui non intelligat,  
 nisi.

nisi cum ratione velit insanire, nemo est, qui non videat, nisi in re clarâ velit cœcutire, nemo est qui non vel manibus palpet, nisi stupere & corpore totus correptus quasi ob-  
brutescat. In privatâ namq; institutione, est similitudo lectionum, eademq; semper manet institutionis forma, quæ quanto discen-  
tium profectui sit adjumento, quantaq; conjuncta cum necessitate exposuit olim apud Sto-  
baum Epictetus his verbis: δὲ θεὸς ἔχον ὄντι, ἔφα-  
στον ὁδὸν παρὰ γὰρ τοῦ αἰσθητοῦ ἐστὶν ἡ ἀρετὴ  
ἐκείνη ἡμέραν, τὰ αὐτὰ καὶ λέγει τις καὶ ἄλλαν  
hoc est, sciendum est nullam artem recte per-  
cipi posse, nisi quotidie eadem quis dicat & au-  
diat. Sicut enim plantæ in eodem solo & cœ-  
lo facilius proveniunt, ita etiã discentes si  
semper similitudine lectionum utantur, eã-  
demq; semper formâ instituantur, facilius ad  
operarum eruditionis culmen perveniunt. At  
quid hujus in publica institutione repe-  
rias, quid non potius contrarium? Cer-  
tis immorari & innutrirî ingenis oportet. epist. 2.  
re si velis aliquid erabere, quod in ani-  
mo fideliter sedeat, ajebat Sophos Roma-  
nus. At DEVS bone quoties in publi-



## ORATIO

publicâ institutione mutantur auctores, mutantur  
 lectiones, mutantur præceptores? Quæ  
 mutatio tam remoratur profectum, quam cre-  
 bra remedium mutatio sanitatem. Ferendum  
 hoc fortasse esset, si veluti stomachus variis  
 assuetus cibis, ita puer lectionibus in isdem  
 contineretur perpetuo, & consuetudine assiduâ,  
 & usu aliquid combiberet sapientiæ & honesta-  
 tis. At verò quis ignorat, quam fiat raro, ut  
 in unâ eademq; scholâ publicâ relinquatur di-  
 scipulus, quam sæpè ut ex una ad aliam transfe-  
 ratur? ubi nova crux, infelici, aliæ & quidè di-  
 versæ occurrunt lectiones, ibi dispar & per mul-  
 tum quidem à priori discrepans instituendi ratio  
 deprehenditur: ô remoram studiorû maximam!  
 ô irreparabile temporis juvenutisq; dispendiû!  
 ô Seneca, quam tu verè dicere solitus, Qui ubiq;  
 est, nusquam est. In peregrinationibus vi-  
 tam agentibus hæc evenire, ut multa hospitia  
 habeant, nullas amicitias: idem accidere iis, qui  
 nullius se ingenio familiariter applicant, sed  
 omnia cursim & prooperantes transmittunt. O  
 detestanda igitur vanitas illorum, qui liberos  
 suos aliud majoris profectus causâ transmittunt!  
 Non possunt certè (si Plinio juniore credimus)  
 aut jucundius morari, quam inter patrios la-  
 res,

Epist. 2.

Plinius  
 Jun. in  
 epist.



res, aut melius informari, quam sub oculis parentum, aut minore sumptu sustentari, quam domi: Verè etenim & eleganter dixit Evagrius: Evagrius  
 ΠΥΔΗ ΜΕΤΑ ΦΕΡΟΜΕΝΟΝ ΟΥΚ ΕΧΩΣ, ΚΑΙ ΠΤΟΝ ΣΠΟΙΕΙ: Non convalescit neq; fert fructum plantæ sepius transposita. Sicut enim vinum in varia vasa transfusum amittit saporem, sic puer in varias scholas missus profectu tandem caret. Ut autem de aliorum autorum, deq; aliarum lectionum mutatione & varietate nihil dicam, quæ in publica schola non metuenda, sed certissime usurpanda est, lubet saltem exempli loco Grammaticam adducere, quæ ut omnium artium prima, ita omnium maxime necessaria videtur. Quippe non patet ad ceteras artes aditus, nisi per hanc qvæsi januam ingressum tibi pares. Sed prob Jupiter qvæta hic occurrit diversitas, qvæta varietas! Plus sanè Grammaticarum variarum in diversis scholis reperitur, quam muscarum cum caletur maxime: qvæ dico in diversis scholis? imò in una & eadè sepe schola varias ediscere Grammaticas coguntur discipuli, in singulis nimirum classibus novam & aliam audiendo: unde fit, ut cum unam addidicerint, & in aliam promoveantur classem hanc didiscere, & aliam illius loco addiscere



## ORATIO

cogantur. In singulis quoque classibus singula-  
 tere traduntur sæpe compendia, quibus variis  
 compendiis temporis dispendia fieri necesse  
 est. Hac igitur solâ Grammaticæ varietate  
 adeo sæpe impediuntur, turbantur & percur-  
 bantur discantium animi, ut sæpe ex ipsis etiam  
 Musarum castris decurbentur, id quod expe-  
 rientia quotidiana loquitur & testatum facie.  
 An verò quicquam horum eximescendum est  
 in institutione privatâ, ubi recitantur auctores  
 iidem, lectiones eadem, institutionis ratio ea-  
 dem? Alia lectiones non nisi cum profectu  
 puerorum subjunguntur? O felix, ô salutaris,  
 ô omnibus expectanda institutio! Quis non pu-  
 blicæ te præferendam partibus infinitis sentiat?  
 Tu sola rationem ingeniorum nosti, tu ad ean-  
 dem te inflectere, tu scenæ discantium servire  
 & calles optimè, & pores commodissimè; ad  
 quam omnis institutio, quin revocanda sit du-  
 bitare nihil debemus. Quosdam etenim discipu-  
 los perspicacioris ingenio, complures obrusore  
 videmus, quique ingenii sunt capacis minus vale-

Vide A. re. solent memoria & vice versâ. Hujus varie-  
 ristotel. raris & diversitatis ratio præceptorum puerum  
 1. Eth. docturo omnino est habenda. Quemadmo-  
 cap. 13. dam enim faber ferrarius ferri, & aurifaber

auri.



auri, imò quilibet artifex istius rei, in quâ elaboranda occupatur, aliquam debet habere notitiam; cum in subjecta materiâ penitus ignota nullus artifex possit aliquam præclaram navare operam: Quemadmodum item medico hominem curaturo humani corporis cognitio necessaria est. Eundem ad modum præceptor pueri instituendi ingenium aliquo modo debet habere perspectum & cognitum, alias feliciter illum nunquam instituet. Quid verò horum latere potest præceptorem privatum, qui cum fidei & institutioni suæ commissis pueris quotidie versatur? Cujus oculis quotidie parentes observantur; cui ex unius natura alteram perspicere difficile non est? Sicut enim Lycurgus, qui Lacedæmonis leges posuit, duarum illarum canum, quas domi educaverat & aluerat, naturam optime habebat perspectam, quod nempe una illarum ventri esset dedicata, altera venationibus apta: Ita quoque præceptor privatus optime novit cuinam studio pueri, quibus cum quotidie vivit, apti sint & mancipandi, quod ipsum cum ille, sedulo exsequitur, & assiduus puero custos comesq; est, an herere possumus, quin feliciter eo instituat, qui nihil horum cognitum perspectumq; habet.

Plutarc.  
περὶ  
παίδων  
ἀγωγῆς.

Acc.

ORATIO

Accedit hoc quod numero obruitur minore, in unoque aut altero occupatus totus est: Publicus vero ad Chiliades & myriades distrahitur, ubi feliciter paucorum natura & ingenio inservire quam plurimorum & diversissimorum se applicare cuiusvis esse apparet. Fieri enim in magna discipulorum frequentia non potest, ut unum & idem sit ingenium, unde saepius contingit, quando ad ingenia quorundam sese accommodare conatur, reliquos interea negligat praeceptor publicus. Talis vero neglectus in institutione

privata nequaquam occurrit: ibi enim cuiusvis discipuli & ingenii cuiusvis accurata potest haberi ratio, videre hoc est in Socrate quod de duobus suis discipulis Theopompo & Ephoro (quorum prior ingenio erat acerrimo, alter leni) dicebat se alteri calcarea, alteri frenos adhibere: videre hoc est in divino illo Platone qui similiter Aristotelem freno, Xenocratem vero calcariibus indigere dicebat. Videre hoc est in Philosopho quodam Anonymo, qui quum duos haberet discipulos, alterum quidem laboriosum, sed hebetis ingenii; alterum ingeniosum, sed ignavum: Ambo, dicebat, pereatis: Quoniam tu cum velis non potes, tu cum possis non vis. Quod si in duobus tantum discipulis non idem, sed.

Vide Cic.  
in Dial.  
de claris  
Oratori.

Svidas,

Anton in  
Melissa,  
part. 1.  
serm. 5.





## TERTIA:

13

sed diversum datur ingenium, bone DEVS,  
 quanta erit ingeniorum diversitas & varietas  
 magno discipulorum numero? Ad quam di-  
 versitatem, ut se accommodet praeceptor publi-  
 cus fieri nullo modo potest: unde saepe fit, quia  
 cuius res discipuli ingenium exactè novisse non  
 potest, ut in vita Minerva in vitos canos ve-  
 natum ducat. Quocirca video non primus ego  
 quasi omnium oculatissimus, sed ante me vide-  
 runt, cum gravissimi idemq; sapientissimi viri,  
 publicam privatam institutione multò esse dete-  
 riorem, & ob id nulli rei majorem diligentiam  
 adhibuerunt, quam ut liberos suos ad virtutem  
 & omne officii manus privatim & domi ipsi  
 instituerent, & sic pulcherrimum illum & opti-  
 mum thesaurum à DEO sibi creditum & com-  
 missum, quàm possent diligentia, perpolirent, imò  
 quam polivissimum ac nitidissimum redderent,  
 & contra scabriciem & rubiginem defenderent.  
 Hinc David Israelitarum ille Rex piatissimus  
 jam jam moriturnus, filium suum Salomonem  
 ipse privatim instituit, eius modum, normamq;  
 praescripsit, quomodo in pietate vivere, delicta  
 punire, benè meritis premia dare, & ita re-  
 gnum suum rectè administrare posset. Hinc Tobias  
 Tobias senior filium suum Tobiam juniorem cap. 4  
 ipse

3. Rego  
cap. 4.

## ORATIO

*ipse informavit, & regulas vite eidem prescrip-  
 sit. Ut autem taceam & silentio preteream ex-  
 Sueton. in empla plura ex scripturis divinis & historicis sa-  
 Augusto cris quae adduci possent, nonne Augustus Caesar  
 cap. 14 filium, ut & nepotes ipse privatim informavit?  
 informavit, si credimus Suetonio. Nonne Ju-  
 Xiphili. lius Caesar Augustum privatim docuit? Do-  
 in Augu. cuit si modo credimus historicis. Nonne Caro-  
 Aventin. lus Magnus filios suos domi ipse erudit? Eru-  
 lib. 4. dit si credimus Aventino. Nonne Chaldaei &  
 Aegyptii à patribus philosophiam addidicerunt  
 Diodor. privatim & facti sunt doctissimi? Addidicerunt  
 Sicul. & docti evaserunt, si credimus Didoro Siculo.  
 lib. 2. Herodot. Nonne Aegyptii filios suos ad artem militarem  
 lib. 6. domi & privatim assuesecerunt? Assuesecerunt  
 si credimus Herodoto.*

*Audistis ita auditores quid viri omni laudum  
 genere cumulatiissimi de institutione privata prae  
 publica & ipsi senserint, & nobis suo exemplo  
 sentiendum praescripserint; iidem cum suam nobis non  
 facto solum, sed rationibus etiam manifestis pro-  
 barint sententiam, ego quidem meum tantorum viro-  
 rum iudicium non anteponom, sed palam institutionem  
 privatam semper publicam potiore & profitor;  
 & de vestro assensu, qui semper à temeritate &  
 perveracitate crimine abhorruistis, nihil dubitabo.*

*Elaboravit & publice in schola Hannoverana  
 recitavit Justus Heino ab Heimburch  
 Martini pie defuncti filius,*



ORATIO QUAR-  
TA PRO PUBLICA IN-  
stitutione.

**S**i dicendi artificium, & persuadendi stu-  
dium valet apud vos, auditores Reveren-  
di, prudentissimi, & doctissimi, de privata  
institutione, ab iis qui ante me declamaverunt,  
discrete admodum dictum, præclarèq; ejus causa  
defensa est: Si verborum fucus, ut in aliis sepe  
rebus, ita in hac quoq; veritatem potest obscu-  
rare, actum planè de publicis scholis; & ego lu-  
bens adversarius de via concedam, manus &  
verbam porrigam. Quid enim illi ad cause sue  
patrocinium & defensionem non attulerunt?  
quam multa subreptè de utilitate, & commode  
ex institutione privata promanante? quam  
multa graviter, de more, de consuetudine, de  
exemplis? Verum mihi, auditores omne in pru-  
dencia vestra sicum est perfugium; qua res à  
verbis secernere, & quod boni ac circumspecti  
est animi, in utramq; partem quæ dici possunt,  
præcipere, rerumq; inter se pondera perpende-  
re, ac veritati in omnibus controversiis lo-  
cum relinquere novistis: Hac igitur vestra  
fretus aq; unanimitate, modeste omnino ac bre-  
viter,

vicer,

ORATIO

vicer, id quod necesse est, antagonistarum meo-  
rum ferocitatem comprimere, audaciam fran-  
gere, logvacitatem compestere, publicamq; insti-  
tutione ab injuria multis modis ei ab adversa-  
riis illata vindicare audebo. Primum autem  
illud peto, ut dum pauca, quantum mea quidem  
feret ingenii imbecillitas, doctrine patiecur co-  
nuitas, dicendi admittere inopia, in medium pro-  
ferre conabor, pro publica institutione attente  
me & bona cum venia audire non dedignemini.  
Deinde si quierunt in hac ἀρεσκείη, qui aut  
sententiam contra publica doctrine studia, ante  
habuerunt animis suis infixam, aut ex oratio-  
nibus nunc habitis & falsam, & rebus commu-  
nibus perniciosam opinionem animis suis imbi-  
berunt, eos oro, rogo, obtestor, ut eandem ani-  
mis parumper deponant, aut ad finem orationis  
seponant: Quod si, quemadmodum hoc mihi  
vestrum veritatis ac æquitatis studium, & be-  
nevola hæc attentio promittit, feceritis, cumq;  
Alexandro ab accusatione vacuam, defensionis  
publicarum scholarum aurem accommodaveri-  
tis, nullius dubito, quin penitus inspecta con-  
roversa, de scholis publicis longe aliter sentis-  
sensuri, & mecum contra earundem osores atq;  
oppugnatores acriter fortiterq; dimicaturi.

Pluta. in  
Alexand.  
Anton in  
Melis.  
parv. 1.  
serm 53.

Cuth



Cum omnibus animantibus, etiam quæ natura ad pastum abjecit, studium ab eadem inditum, quo noxia depellant, profutura consistetur: cum hominibus imprimis imperavit curam, quæ erantur, ut dignitatem, præstantiamque hominibus, præ cæteris animantibus diuino munere, concessam ornasse potius et amplificasse quam abjecisse vel diminuisse videantur. Cum autem natura tanta sit infirmitas, tanta ingenii stupiditas, tanta mentis hebetudo et cæcitas, ut nisi diligens educatio accesserit, conformatioque doctrinæ parvulis, animantibus brutis evadant ineptiores; rectissime monet Plutar- Lib. περὶ  
τῶν παιδευ-  
 τῶν βίβλιος εἰσὶν ἀδιάβλητοι, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀγωγῆς.  
 ἀνεπίλητοι, καὶ τοῖς ἐμπειρίας ἀείροι· ἢ ε.  
 doctores quærendos esse filios, quæ vi vitæ sint inculpati, moribus irreprehensi, et peritia excellentissimi: Et hoc quidem efficiendum summa quam fieri potest diligentia. Nam stultum, Erasmus.  
 inquit Erasmus, esse, velle periculum facere in filio si ne quæ vis vir probus, sciat ne literas: in alio si venia dormienti, in his Argus sis oportet, et oculis omnibus ad vigilandum: sed tales quæ aso ubi erit se in vestigandi, et inquirendi? ubi in veniendi? num ex argastulo et car-

D

ters

ORATIO

cere domestico, aut subterraneo specu privatim  
 & in antris docentium eos protrahemus ex sen-  
 tentia & eorum qui ante me dixerunt, & vul-  
 gi nonnunquam haud opinor. Videre enim per  
 DEVM immortalem quanta sit hujus hac  
 in re ἀνομία & ἀπειρία ut loquitur Plutar-  
 chus? Considerate quam iste saepe in praecepto-  
 rum electione hallucinetur, aberret? Quis enim  
 hodie tam abjectus, tam inutilis, tam nullus  
 precii, quem vulgus moderandis & forman-  
 dis pueris non existimet idoneum? Unde con-  
 ingere animadvertimus, ut Paedagogi vel ipsi nul-  
 lis artibus imbui male pueros informant: Qui  
 enim fieri potest, ut ille quemquam erudiat, qui  
 ipse sic ineruditus? vel ephoro & inspectore ca-  
 rentes rerum suarum privatarum plus satis  
 studiosi discipulorum adeo nullam gerant cu-  
 ram, ut contra DEI & conscientiae legem ali-  
 mentorum furto se temere astringentes negli-  
 gentiam suam illos potius corrumpant quam eru-  
 diant: digni saepe profecto quos Diogenes Cy-  
 nicus, ut & olim Paedagogum pueri immodeste  
 se gerentis baculo percuciens rogaret, cur sic in-  
 stitutus? Taceo quod quidam hac nostra aetate  
 ad ebriosam mulerculam, ut ibidem legendi  
 scribendiq; parent facultatem, suos mittant fi-  
 lios.

Plutarc  
 de educa.  
 puer.



lios. O tempora! ô mores! ô stultos & iniquos  
 parentes! Quid magis à natura alienum, quam  
 foeminam in masculum habere imperium? quid  
 tam absurdum, quam huic, exui, qui se ipsum se  
 quando animus commotus, nec regere novit,  
 nec nisi vindicta satiata acquiescere, pueros tra-  
 dere informandos? Ad publicas, ad publicas,  
 inquam, ableganda erat juvenis Scholas, ubi  
 non vulgi, in quo, ut loquuntur eloquentia ille  
 pater Cuius, nec iudicium, nec consilium, nec  
 discrimen, sed virorum prudentissimorum, usu, In Orat.  
pro Pla-  
cio.  
 & rerum multarum experientia, magnis sum-  
 ptibus hinc inde acciti, & in omnium doctrina-  
 rum genere exercitati viri, quos Plutarchus  
 doctores requirebat, inveniuntur: Non hic  
 ebriosi, unde pessimum discipuli exemplum tra-  
 hant: non blasphemii, qui vitiosam pravitatem  
 in eos transferant: sed duces adsunt optimi, qui  
 iudicia proverbium bonos reddunt comites, efful-  
 gent gravitate, doctrina & vita sanctimonia  
 conspicui viri, qui doctrina pietatis excellen-  
 tes, peritia sanctorum illustres, iusti iniustis, scien-  
 tia admirandi omnibus sunt & iusticiendi.  
 Adsunt praeterea hic non vulgares sed publi-  
 ca auctoritate ex optimis collecti ephori &  
 inspe-

D 2

## ORATIO

Et inspectores qui sua presentia, creberrimo accessu, inspectione fidelissima stimulos quasi doctibus in docendo & informando addunt: tanquam scholarum nutritii, diligenter in docendi statione perseverantibus & consistentibus, de subsidio & salariis liberaliter prospiciunt: diligentiam & assiduitatem laudibus efferrunt, in negligentiam vero severe animadvertunt. Hinc illi sui non immemores officii scholas non solum mira dexteritate ac fide regunt ac gubernant, sed pia quoque & erudita scripta juventuri non sine maximo labore instillant, & mira assiduitate inculcant. Quanto enim cum fructu divino fontis Israelis liquore tincti Theologi sacrosanctam hic proponunt Theologiam? Jurisperiti juris & æqui doctrinam? sanitatis vel integræ conservandæ, vel afflictæ restituendæ scientiam Medici? quanta sva vitæ sapientia humana, longaque rerum experientia præstantissimi Philosophi de rerum natura moribusque honestis doctrinam? adeo ut nihil, nihil, inquam, in harum utilissimarum disciplinarum corpore, atque in omnibus artibus, scientiis possit desiderari. O igitur magistratum omni laude, & quidem sempiternam dignissimum, cui usque, adeo litterarum domicilium curæ sunt, ut nihil plane,

quod



quod ad ea conservanda & augenda pertinet,  
intermittat! ô seculum beatissimum! ô terra  
quaterq; felices juvenes, quibus tales instituto-  
res vitæ & morumq; architecti præficiuntur! Ca-  
eterum quàm lubrica quæso pueritiæ & adole-  
scentiæ ætas, quàm infirma? quàm ad volupta-  
tes prona, ad intemperantiæ propensa? ad  
quævis flagitia suoque impetu proclivis, atq;  
adeo mille tendiculis improbi illius & maligni  
spiritus infinitis illecebris & mundi corruptelis  
obnoxia? Nam eo in flore ætatis maxime o-  
mnium se prodit ingenitus ille depravate natu-  
ræ morbus, quando haud aliter atq; calx affusa  
aqua, aut ignis oleo infuso plena vi exæstuat in-  
domita concupiscentia, totumq; chaos humano-  
rum affectuum in apertum se profert. Hanc  
adolescentiæ ingenitam pravitatem & maliciam  
domi optime inter parietes privatos privatis à  
præceptoribus, qui corrigi posse autumant falli  
eos & toto celo errare experientia quotidiana  
satis, meo quidem iudicio, semperq; testatur.  
Quam enim cæcus ibidem sæpe numero amor  
parentum? quàm indulgens nimis educatio?  
quàm negligens disciplina? ubi Pædagogus mu-  
lierculas, aut viros interdum præter barbam  
mulierculis similimos audire cogitur, quæ credu-

D 3. la qua-

ORATIO

Ephe 6  
vers. 4.

Diog.  
Laert.  
lib. 5.

In Phed.  
& Sym  
posto.

Utriusque quaedam misericordia, aut inimica benevolentia, laxatis disciplinae vinculis in agnita malitia & morum pravitate adolescere adolescentem potius quam cum prodeit xxi vobiscum ueris secundum Paulinam exhortationem institui eos. Volunt & educari (O pestem, O labem! O viciorum & malorum omnium magistram: Accidit enim, ut ad hunc modum educati adolescentem exproferocienti non fiant absimiles, qui excusso sessore, suo ferunt impetu, donec aut freno injecto coercatur aut ipse se praecipitet. At vero si quis publicam institutionem consideret, ea quam optime innatam istam pravitatem emendari, vel merita iudicabit: Etenim praecipitores huic praefati, qui observant illud Lyeonis Philosophi, qui duos acerrimos stimulos puerorum ingenis excitandis adhibendos esse existimabat, pudorem, quem iusti probri metum, & laudem, quam omnium artium altricem dicebat; Commonefaciunt illi adolescentem, de pudore & magnanimitate ex sententia Platonis ingenita nobis, ideoque pudore, quasi quodam freno affectus à turpibus licet servibus cohibent; magnanimitatis vero calcariibus ad honesta, quamvis ardua, propellunt. Hinc est quod laudem, quo nullum amplius praemium, ornant bonos & cohonestant, diligentiae, industriae & probitatis



honorificum exhibent testimonium; desides vero, ignavos, contumaces & refractarios legum vinculis coercent, & exhortationum, objur-  
 tionumq; stimulis excitant: Hi vero objur-  
 gationis pudore, vel pœna metu, s̄ sint sanabiles,  
 ad officium adducuntur; si desperati fuerint  
 ex metu numeroq; proborum, ne exemplis suis  
 aliis noceant, excluduntur, adeoq; immedicabi-  
 le vulnus ense reciditur, ne pars sincera tra-  
 batur. Perpendite hæc, & perpendite diligen-  
 ter, qui Scholas publicas, quas veterum quidam  
 recte domicilia pietatis, officinas artium, disci-  
 plinarum, virtutum appellavit, oclusas plane  
 vultis, earumq; moderatores ex cæcis hominum  
 removendos, & exterminandos clamitatis: lau-  
 dantur hortulani industrii, cum herbas frugibus  
 inimicas eruncant, dant operam ne plantulas  
 illæ utiles suffocent; quanto igitur magis nun-  
 quam satis laudari poterunt præ reliquis eligen-  
 di, & in pretio maximo habendi erant publici  
 præceptores, qui ut respublica literaria salva  
 maneat & incorrupta refractariorum naturam  
 perditam & malitiam ingeneratam verbis ver-  
 beribusq; interdum corrigunt, insanabiles ex a-  
 gro scholastico exterminant? Quod si nihil aliud  
 ex scholis publicis quã ista morum disciplina pe-

Ovid. 1.  
 Metans.

D 4      teretur.



## ORATIO

retur, quæ eas non jure privatis anteferret?  
 sed enim & profectus major est & felicior. Re-  
 rum, quod omnibus constat, discendarum perma-  
 gua est varietas, multitudo innumera, perplexi-  
 tas inexplicabilis: quo fit ut nemo tanta inge-  
 nii sagacitate aut industria præditus sit, ut una  
 vice quæ audie memoria statim infigere possit:  
 sed optima memorie ars est penitus intelligere,  
 intellecta subinde repetere: ubi ergo melius puer-  
 rem intelligea & memoria comprehendet, quam  
 in publicis artium officinis, ubi præceptores fi-  
 deles fidelibus suis repetitionibus memoriam ju-  
 vant, lumen de clarissimo suo lumine in ipsius  
 animo accendunt? Ubi major ansa intellecta  
 relegendi, inculcata repetendi, quam ubi con-  
 discipulos quotidie recitantes audie & vel de-  
 cies auribus percipie in schola ex commilitoni-  
 bus, quæ domi, cum magno privati præceptoris  
 radio, vix bis aut ter repetuntur? quæ & non  
 raro ab eis provocatus, de injunctis & inculca-  
 tis rationem reddere cogitur. Hinc factum  
 esse animadvertimus quod ex publicis scholis  
 semper prodierint & hodierno die quasi turma-  
 rim emergant, quæ facunde concionantur in  
 templis, quæ sapienti eloquentia moderantur se-  
 natum, quæ prudentissimè jura dicunt. quæ deniq[ue]

judi-

judicio magno valent & auctoritate. O eximios & magnificos scholarum publicarum fructus! ô inignes institutionis & informationis diligenti utilitates! ô egregios etiam & praeclaros omniq. laude cumulandos, qvi contemptis omnibus molestiis scholas adire publicas, & in his eruditi rempublicam exhilarare, patriam carissimam cum sempiterna nominis sui memoria, laude, gloria & immortalitate condecorare laborant! Quid si jam eorum in medium afferre exempla vellem, qvi obscuro loco nati, scholarum publicarum preceptoribus adjuvi ad dignitatis & honoris gradum sunt erecti, nomen post se nunquam interiturum reliquerunt, dies, me Christe, citius quam oratio me desiceret. Quid enim referam de te venerande pater Luthere? quam difficili cum labore in annis juvenilibus publicas adire scholas non defugisti, & hac ratione summam eruditionem, doctrinam admirabilem, rerum omnium experientiam consecutus es? Vidit te Magdeburgum, & magnam cum admiratione vidit: Vidit te in elyca Academia Erfurtensis deditum optimis studiis: disputantem & dicentem suspexit, coluit in amore & deliciis habuit alma Viteberga: Silentio Philippum Melancthonem, Chemnitium,

D 5

Heshu-

ORATIO

Hesbustum, Hunnium prætereò: Quales viros  
 & quantos Theologos? lumina profectò & fir-  
 mamenta Scholæ & Ecclesiæ Christianæ: ut in  
 publicis scholis hi pietatis ac literarũ fundamen-  
 ta omnes jecerunt, publicorum præceptorum in-  
 formatione ad eruditionis culmina omnes ascen-  
 derunt. Et quare nos laudabilem hanc & Ec-  
 clesiæ tum reipub: utilem pueros informandi  
 consuetudinem laudibus summis nos offeremus,  
 cum tantum absit, ut exterarum nationum po-  
 puli eam vituperent, ut eam à nobis addiscant,  
 & suis etiam in locis eam florere cupiant: Ex-  
 emplo sic vir illa excimia prudentiæ & doctrinæ  
 Contarenius, qui cum in Germania nostra ani-  
 madversisset, non promiscuè cuiuslibet, ut in Ita-  
 lia scholas privatas aperire licere, sed magna  
 cura & diligentia, & non nisi publica autorita-  
 te, quorũ vita & mores probati essent ad muna-  
 ra illa deligi, domum re versus laudabilem hanc  
 consuetudinem Venetis etiam suis summa cum  
 collaudatione persuadere, & in eorum rempub.  
 alias sapientissimè institutam introducere non  
 dubitavit. Neq; tamen laudabilis hic mos ita  
 juventutem informandi apud Germanos præ-  
 mo capie, sed si fides habenda historicis; apud  
 Francos olim, qui sub quercu suos erudiebant di-  
 scripu.

Scipalos, percelebris fuit & usitatissimus: Et ut Plutar. in  
 habet Plutarchus Lycurgi tempore Spartano. Locurg.  
 rum liberos non pro patrio arbitrio privatim Xenophb.  
 parentibus educari erat permiffum, sed simul in repub.  
 atq; annum ætatis attingissent septimum, Ly. Spartan.  
 curgus eos acceptos publicis subsidie præcepto Aristote.  
 ribus: quo ipso eras affuefecit ut non vellent lib 8 po-  
 nec scirent ullo modo privatim vivere, sed lit. cap. 1.  
 apum more ad rempublicam semper essent com-  
 parati. Sin hæc laudabilis passim jam in orbe  
 mitiore recepta consuetudo scholis publicis lau-  
 dis satis non afferret, ut eas pro privatis eligen-  
 das putaremus, vel ipsa necessitas huc impellere  
 nos deberet. Cum enim rector ille humani gene-  
 ris admirabili plane diversitate ac ordine omnia  
 ita disposuerit, ut non in una domo, non uno in  
 homine omnes artes, omnes disciplina & scien-  
 tia, qua nos humaniores reddant, invenian-  
 tur, sed ita divisæ ac dispersæ sint, ut hic elo-  
 quentiæ & Philosophiæ, ille Theologiæ, Medi-  
 cinæ, alius Jurisprudentiæ cognitione prædi-  
 tus sit, cogitate, quæso, auditores, an quis domo  
 in ergastulo quasi sedens harum omnium posse  
 fieri particeps? an unus ad tot disciplinas,  
 tot facultates proponendas sufficiat? an non  
 publicis istæ in Scholis, ubi singularum di-  
 plina-

## ORATIO

disciplinarum, singularum facultatum profes-  
sores constitutos videmus, felicius & majori  
Plato in. cum fructu juvenuti instillentur? Quod ipsum  
Alcibi. cum & Persæ probe intelligerent, non unum  
sed quatuor, eosque, non vulgares, sed ut refert  
Plato, ex optimis electos regibus suis prae-  
bant praeceptores, sapientissimum videlicet, ju-  
stissimum, temperatissimum, atque fortissimum  
quorum primus magicam Zoroastra Oreman-  
si filii (erat autem ea illis Deorum cultus) & re-  
gia tradebat instituta. Secundus ut in omni vi-  
ta verax esset, tertius ne ulla cupiditate supera-  
retur, ut liber vivere disceret hortabatur. Quar-  
tus denique ne quando metuens servus fieret, im-  
pavidum & inrepidum eum reddebat.

Sed ne vestra, auditores, abueat bene volen-  
tia quam liberaliter mihi concessistis, tempusque  
us quos in eadem mecum navi vehi, & pro in-  
stitutionis publicae laude pugnaturus video pra-  
ripiam, vela complico & in portum me confero.  
Ad vos autem, auditores Reverendi, pruden-  
tiss. & doctissimi, prius confugio, debitaque sub-  
missione oro, ut cum tanta scholarum publica-  
rum sic utilitas, tanta commoda, tanta bona-  
excursus in genus humanum promanent, ut sublatis  
is barbariem sequi necesse sit, barbariem impie-  
zatem.





rarem, impietatem legum contempcionem, d-  
 mniumq̄ scelerum ac flagitiorum effusam licen-  
 tiam: ad versus quosdam insulos earum ofores  
 & contempiores manus auxiliares eis præbe-  
 ris, à contempu & invidia eas mecum libere-  
 ris, & si cui tot lingua quæ aut folia autumnò  
 decidunt, aut flores verno conspiciuntur tem-  
 pore in arboribus, has tamen debitis verisq̄  
 encomiis ornare eum & afficere  
 nunquam posse existi-  
 metis.

Habebat Zacharias VVe-  
 generus Bevenro-  
 densis.



ORA.

ORATIO  
ORATIO  
Quinta, pro eadem.

**N**on exiguam apud vos, viri reverendi,  
viri clarissimi, ephori hujus Reipub.  
nostra literaria vigilantissimi, & vos  
multâ doctâ eruditionis cognitione per lucidè flo-  
rentes viri, vosq; hujus Xysti nostri *Εὐσχοῖα*-  
cerrimi, non exiguam inquam, apud vos admi-  
rationem haberi, cur & ego jam ad dicendū sur-  
gam facile ut credam, possum adduci. Nam de  
Quæstione, in præsentî suscepta ad ulteriorem &  
uberiorem tractandi rationem se velle accingere,  
parvi fortassis res videtur esse momenti: hoc  
præsertim loco, ubi cum bonis agitur, Sapien-  
tibusq; ut est proverbium, sat videtur dictum.  
Quid igitur? Verendumne, ne quod illis eveni-  
re solet, qui in una & eadem re nimis frequen-  
ter versantes nullâ auditores jucunditate per-  
fundunt, nullam arripiendi dicta famem in au-  
ribus relinquunt, sed nimîa sâttetate eas disten-  
dentes, omnes benignæ attentionis & favoris  
aditus sibi præcludunt, idem & mihi accidat?  
Verendumne? Non opinor. Vereantur illi, qui  
ista committunt: Alia mihi mens, alius animus:  
majorem mihi de vestra, auditores, facilitate &  
animi

Erasmus  
in Cbilis

animi candore spem polliceor. Nec est, quod  
 persuadere vobis velis, me, ubi paucula adhuc  
 pro publica institutione, privata omnibus para-  
 sangis preferenda, dicendo persequi ingredior,  
 de vestra sinceritate & iudicandi sapientia du-  
 bium teneri, ne aut ad veram sententiam (à qua  
 nescio quis honeste possit dissentire) ab antecesso-  
 re meo huc allatam vos confirmetis, aut opinio-  
 nem improbetis eorum, quis supra multa & in-  
 signi garrulitate clari (Vereor ne sannis se ex-  
 cipi putent, quod iterum jam dico CLARI)  
 tantam sibi pro privata institutione suscep-  
 erunt propugnationem, ut pro artis & focis vi-  
 deantur decertasse. Non, inquam, talis vos  
 de me opinio habeat, ut ita auctoritati gravita-  
 tiq; vestrae diffidam, ut rejectis veris & solidis  
 rerum fundamentis, ad leviculas istorum, gar-  
 rulorum ratiunculas voluntatem vestram vos  
 aggregaturos putem: siquidem illi verborum  
 tantum furo & lenocinis tenebras auditoribus  
 offundere & lenocinari student, ut jure eos neu-  
 rospastis aut psephopactis, qui agilitate quadam  
 & celeritate manuum levibus ac politicis calculis  
 huc illuc movendis spectantium oculos eludunt,  
 similes habeamus. Quid igitur tandē, cur dicen-  
 di provinciam suscepim, rationis afferam: Nun-

D 2

quid

## ORATIO

quid hoc ipso, vicini mei argumenta parum ro-  
 boris & nervorum habuisse, ostendo? Tantum  
 abest, ut hac mente pertractem, ut etiam omni  
 assertione confirmare minimè erubescam, tan-  
 tum ea stabilitatis, tantū roboris & ad persua-  
 dendum efficaciam habuisse, ut nulla, non dico le-  
 vium ratiuncularum flabella, sed ne gravissima  
 quidem argumentorum tempestas, infirmare  
 ea, nedum refutare videat. Allud dicam, ut  
 sentio: Quod peritis rerum naturalium specu-  
 latoribus evenire consuevit, idem & mihi (si  
 parva licet componere magnis) jam accidit.  
 Quemadmodum enim illi, dum ingenium suum  
 rerum variarum venatione satius concoquunt,  
 per spectā unā aut alterā rei proprietate, qua-  
 rando non desistunt, neq. radio absterrentur: sed  
 indies majorem ex hoc studio animi delectatio-  
 nem sentiunt, unde & accessiones suae co-  
 gnitioni facere gaudent: ita ut ego, audiā vicini  
 oratione, tantam ex ea voluptatem hausi ut vix  
 magis ad suffragandum de publica privata an-  
 teponenda institutione sententiae, quā ad lau-  
 des uberiores, quibus publica praë privata orna-  
 ta est disciplina, decantandas fuerim allelus.  
 Testis experientia clamat, artifices plurimum  
 delectari aspectu officinarum suarum, gaudere,  
si quis

QUINTTA.

23

si quis earum elegantiam & structuram com-  
mendet: Palaestra, videmus, quanti faciant  
sua gymnasia, quam ea exornent, quam perve-  
lint, sua publica exercitia, & quam faciunt,  
se benohaticam, laudibus ferri ab omnibus.  
Hoc sita, quem, quæso, liberalis doctrinae stu-  
dio sum non multum juvaret officinas, in qui-  
bus ad omnis generis virtutes perducitur, in  
quibus ipse Spiritus sanctus Doctor assidet, lau-  
dare, celebrare? Quis non duceretur de præ-  
dicandi studio illa gymnasia, illa publica exerci-  
cia, ad quæ à Deo electi, à parentibus nati à præ-  
ceptoribus informati sumus: in quibus nõ ad hu-  
mana arma assuevimus, sed ad Diaboli impetus  
reflectendos, insidias destruendas, maliciam præ-  
cavendam armamur & præparamus? Quæ  
omnia cum ita sint, ad publicarum Scholarum  
& disciplinarum laudes exponendas & ego jam  
brevibus me accommodabo. Video equidem,  
nescio quâ permotus animi divinatione, mihi  
non opus esse, attentionem vestram, audicores,  
pluribus exposcere: video animos vestros in  
hanc orationem ultrò arreptos: video eam, quæ  
publicas Scholas, publicas disciplinas, meritò  
amplectimur, caritatem, studium ac benevolen-  
tiam in hanc meam causam converti.

E

Quod



## ORATIO

Quod si quis à principio, auditores clarissimi,  
 ad vitæ nostræ Scholasticæ statum, ejusq; condi-  
 tiones rectè viâ reputandas mecum sese conferre  
 cupiat & præcipuas causas, quibus parentes ad-  
 ducti filios suos sub ferulam & magistratum Scho-  
 lasticum mittunt, ad mentis trutinam perpendere  
 & examinare; inter alias omnes non minimam, sed  
 cum primis summam esse hanc fatebitur, ut coer-  
 ceatur tenera juvenit us: quæ habet malum sibi na-  
 turâ insteum, & ex lapsu contractum protoplas-  
 tiorum foedissimo, ut sit fera, sit malitiosa, & sem-  
 per à virtute ad vitium proclivis. Id quod pla-  
 num faciunt non sacre solum pagine, sed & ipsa  
 experientia testis sat locuples hoc ipsum quotidie  
 nos edocet. Quam primum enim infantulus à ma-  
 tercula suæ dulcissimis mammulis est prohibitus,  
 & vix tantum ætatula habet, ut possit *BATTA*-  
 & *Qu*; en subito perditæ, & ab a dâmo heredita-  
 te quasi accepta natura specimen edit: omnium  
 malorum est capacissimus, in bonis verò haurien-  
 dis totus ò. *h. u. d. is*, imò omninò stupidus & in-  
 sulsus. Si fortè perperam quicquam agi videt, ab  
 quàm citò illud imitari & exprimere studet: sin  
 verò ad honesta parentes bonis allicere conitun-  
 tur verbis, omnem institutionem renuit, respuit,  
 & si cupidius instant, illicò lacrymula cadunt.  
 Atq; ea malitia in pueris his seculis capit incre-  
 menta, si Lyrico credimus, a genti!  
 Damno sa quid non imminuit dies,  
 Etas parentum pejor aevi, tulit  
 Nos nequiores, mox daturos  
 Progeniem vitiosorem

Ephes. 2.  
 ver. 3.

Lib. 3.  
 Od. 6.

Ab



QUINTA.

29

At ejusmodi naturā perditum filium frugi redde-  
 re, hic labor, hoc opus est. Quo igitur remedio tā-  
 to malo occurrendum? Parentes nolunt istis jam  
 bimis vel trimis frenos, ut à malis retrahant, injica-  
 re, plorantes audire perhorrescunt. Et licet inter-  
 dū eò deveniant animi vehementia, ut jam magis  
 ad severitatem impliciti, quàm ad misericordiam  
 proni videantur, paternus tamen & maternus san-  
 guis, qui, ut latinitatis princeps Cicero testis est, **Pro Sexto**  
 magnam vim, magnam necessitatem possidet, & **Rosc.**  
 magnam religionem retrahit, omnem severitatē  
 excutit, nec in ira obfirmatiores parentes esse si-  
 nit. Unde fit, ut, minus arctè habere liberos pos-  
 sint. Ergo, ubi jam aliquid ætatis habent, itq; in-  
 teger avi sanguis incipit crescere, germani pa-  
 rentis officium sequitur parens, & filios naturā in-  
 domitos & feros ad Scholas ablegat, præceptori-  
 bus in manum dat, illi committit istorū mandat fi-  
 dei, ut sint quasi secundi, amore, curā & sollicitu-  
 dine pueris parentes, ut modeste vivere doceant, ut  
 feram illam, ac belluinam ferē naturam exuant &  
 honestas paulatim artes instillent. Hic creantur **Plutarch.**  
 quasi novi homines: exiit plena nequitia ve- **in Peda.**  
 stis, induitur candor & probitas: hic tortuosus &  
 inflexi ramuli flectuntur, ut ad juste aliquando al-  
 titudinis culmen honoris perveniant & excre-  
 scant: hic relinquitur stultitia, cui indulgent per-  
 sepe parētes, arripitur sapientia: hic fero ces fiunt  
 cicures, hic rustica morum insulsitas interit, & ur-  
 banitatis semen reviviscit: hic deniq; ignorantie

E 2

mubes



## ORATIO

nubes dispelluntur caliginosissima & lux omnis  
 scientiæ exoritur clarissima, fontesq; immortalis  
 scientiæ fluunt. Hi sunt thesauri amplissimi, quos  
 publica nostra institutio in se reconditos habet:  
 hæ sunt divitiæ quas cultoribus suis promittit,  
 quas præstat; hæc sunt bona, hæc commoda, quæ  
 tanquam uberrima mensuræ ex gremio suo abundan-  
 tissimo effundit largissimè. O majorum scienti-  
 am nunquam honorum titulis satis condecoran-  
 dam! O bonitatem, quæ nunquam non dico satis  
 retribuui, sed ne cogitatione quidem satis honestâ  
 & grata recompensari potest! Tua, ô pia anti-  
 quitas, sapientia, quam in constituendis scholis  
 publicis elucere fecisti, omnes posteros suspensos  
 teneat: tuam bonitatem, quam reliquisti & ex-  
 hibuisti, omnes, quot quot erunt, si modo guttula  
 honestatis in ipsis delituerit, si modò ex historia  
 Philippi Macedonis didicerint, nihil esse turpius  
 nihil flagitiosius, quàm si cujus fronti hæc inuri  
 stigmata possint **HOSPES INGRATUS**,  
 æternâ memoriæ recordatione celebrabunt. Ce-  
 lebranda etiam meritò veneranda posteritas, quæ  
 à majoribus constituta Scholas, ex quibus tantus  
 tantorum honorum cumulus in nos redundat, piâ  
 religione conservat. Sed hic mihi obganniri ab-  
 adversarij posse video. Quid enim? Possine in  
 privata institutione præceptor honestâ mercede  
 conduci, qui eadem puerum doceat, quæ modò  
 gloriose publicæ institutioni & discipline soli  
 assignasti? Possint janc magnis impendis præ-  
 ptor



p̄tor privatus ali: & perfrict e sim frontis, sine Plutarc.  
 gare hoc velim. Scio enim, quàm fitelem Phenix in Pedag.  
 Achilli, Anaxagoras Pericli, Plato Phacioni ope. Cic. 3. de  
 ram navarit. E contrario verò minus etiam ob. Orat.  
 scurum est, quibus vitis Leonides Alexandrum Homerus  
 puerum infecerit, quæ eam robustum, jam & ma. Iliad. 9.  
 ximum regem ab illa institutione puerili depræ. Platarc.  
 vata sunt prosecuta. Sed ut ut hæc sint, nunc ta. in Pericl.  
 men hæc dies aliam vitam affert, alios mores po. & Pho  
 stulat ut loquar cum Comico. Et ut nullæ hæc cione.  
 h. minum etate res dantur, quæ non mutationem In Alex.  
 habeant: Sic etiam multum mutatus est, discendi andr.  
 ardor ferreo hoc nostro seculo, ubi omnia frigent, Terent.  
 ubi non solam non sponte, ut supra dicti fecerunt, in Andr.  
 sed ne verbis quidem, dicam gravius, etiam ver. Act. 1.  
 beribus sepius instigati discimus. Et licet adver. Scen. 2.  
 jaris illud de privatis præceptoribus conducendis  
 largirer (quanquam quid illud) hoc tamen & illi  
 mihi ultrò concedant necessum erit, quo publi. a  
 disciplina latibula ista eremitarum antecellit, in  
 is, quæ spectant ad morum integritatem compa  
 randam. Morum autem urbanitas, quanti sit faci  
 enda nemo non videt, nisi sit totus tardus & bar  
 dus, supinus & stupidus. Hæc tanti est apud alios  
 omnes cordatos & verè doctos habita, ut etiã ho  
 minè qui à morum civilitate alienus, se apud alios  
 urbanè, comiter, honestè, amabiliter, venusteq;  
 gerere minus didicit, licet omnia alta didicerit, non  
 tamen doctum, sed indoctum & dediscentem vo  
 cantent, juxta illud: Qui proficit in literis & desfi  
 cit in



## ORATIO

**Lib. 1.  
Polit.  
cap. 2.**

est in moribus, magis deficit, quam proficit. Et sane, quid est ab homine alienius, quam cum homine non posse versari? Aristoteles inquit: ἢ δὲ δὲ, ἢ ἀλλοτρίων, μὴ δὲ ὡς αὐτῶν ἔχει. Et nihil est homini spurcius, quam, cum homo à Deo conditus sit, se tamen ut sordidum pecus velle abjicere & prosternere, & ab omni se elegantia sejungere. Quid verò est contrario beatè vivendè rationi magis est amicum & consonum, quam familiariter hominibus uti & quare reperere elegans ipse Cicerois vocis testimonium habemus, ubi in epistola quadam ad familiarem suam Petum sic scribit: Extra jocum moneo te, quod pertinere ad beatè vivendum arbitror, ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas: nihil est aptius vitæ, nihil ad beatè vivendum accommodatius. Quare nisi ab hominum communitate in vastam aliquam solitudinem demigrare sit animus, nisi hominū usu sociari volumus, exuamus oportet morum rusticitatem, quæ, licet ad speciem primo intuitu non ita gravis videatur, creberim as tamen & gravissimas, re penitus inspectæ, nobiscum versantibus inducit molestias. Nam velut homines, qui sibi à feris bestiis metuumt, minutæq; illa animalcula, quales sunt culices aut muscæ, formidine non dignantur, & tamen nihilominus propter continuas molestias, quibus ab hoc genere inquietantur, multò frequentius ab his bestiolis, quam beluis illis immanissimis bilem sibi sentiunt moveri: ita

**Galateus  
de Moribus.**

accidit



accidit, ut omnes duplo maiori odio prosequantur illos homines intractabiles & plane agrestes, quam alios etiam insigniter flagitiosos. Sed quod abripior & redeundum, unde deslexeram Dixeram, morum elegantiam nullibi melius, quam in publicis Scholis fingi posse, & nullibi eorundem rusticitati, quam in Scholis, convenientius occurrere. Anne hoc ita & sic fert opinio. Ingrediamur enim vitam Scholasticam: examinemus morum integritatem: discipiamus comitatem & *ἄλλοις ἰσοτιμίας*: conferemus hæc publica cum privatis illis latebris: videamus, quid inter Scholasticum publicum & privatum intersit. Hic sane peropus mihi esset, intra patrios parietes educatum huc apponere puerum, & in conspectum vestrum adducere, ut eò melius, quid elegantie haberet, videretis: nam verbis jam enarrare omnia, nimis longum foret. Et cum totus à vobis perillustratus esset, nonne mecum ita tandem in hæc verba prorumperetis:

AEdibus eductus propriis, habitusq; licentet.

Mores, quos vitulis esse videmus, habet &

Unde autem eiusmodi rusticitas & agrestis vita. Quia neminem, cum quo versetur, habet, quem imitetur neminem, cuius vitæ corrigatur, neminem. Ancilla quidem obstrepunt, servi & guthones circumstant, apud quos omnis urbanitas exaruit: Horum autem mores quin adliscat

E 4 equi-

## O R A T I O

equidem non negarim. Accidit enim, ut præclarè docet Plutarchus: αὐτὸς ἡμεῶν παροικίῳ, ὅτι πρῶτα ἡμεῶν ἡμεῶν. Longè autem alia ratio in scholis publicis, longè, inquam, alia, ubi non cum servulis & ancillis, non cum perditis gnathonibus, sed cum honestarum artium studiosis est & vivit, ubi, quos præcedat & quos sequatur, habet: quæ conversatio efficit, ut tandem & ipse honestus & elegans evadat: Nam:

In Pædagogia:

Ovid. 3.  
de arte:

Tum bene fortis equus referato carcere currit,

Cum quos prætereat, quosq; sequatur habet.

Ut canit tuba Ovidii poetica. Quæ privata disciplina efficiat, quomodo mores juventutis conformet, contrà audistis. Sed ista levia fuerunt: alia graviora & majoris ponderis afferam, si modo eâ, quæ capistis, attentione me sublevare perrexeritis. Quid, dicat aliquis, privata porro discipline producant Superbiam, quæ crudelitate gravior est bonis. Regium quiddam & egregium. Sed audite stultam superbiam & superbam stultitiam. Hic lepidū suum caput si fortè ex lateribus aliquando sustulerit, & homines videre inciperit, bone. Christe, quàm delicatè incedit: oculos jam in dextrum, jam in sinistrum humerum flectit: jam ad pedes prospicit (risum, quæso, tenete auditores, sed quis possit, nisi Democritum agat?) jam manus in ilia conjicit, jam pallium, si habet, aptat, & quæ sunt alia superbiæ rusticitatis signa. Quid dicam de ejus in falsa eruditionis persuasione. Ὀλακτιξ. De ea laudes plenis buc-

cic.



et percrepat. Novit scilicet inter oves et ova  
 quod generis discrimen habeatur: et absolutus est  
 Grammaticus, Varrone doctior: Syllogismorum  
 figuras discernere didicit, optimus est. Dialecti-  
 cus, Chrysippo argutor. Troporum et figurarum  
 definitiones hesitanter recitare potest: ora-  
 tor est disertissimus, Cicerone eloquentior. Qua-  
 tuor esse corpora simplicia sub sphaera Luna, for-  
 tasse aliud agens inaudit, acutissimus est Physi-  
 cus, Aristotele multo acutior. Sed iniuria ipsum  
 exinanire videor, qui majora non attingo, et de  
 illo praedico. Accipite, ut hominem inani dudum  
 gloria perustum magis incendamus. Teneo, in-  
 quit, in arce honorum omnium virtutem esse col-  
 locandam, et Ethicorum princeps perhiberi vo-  
 lo. Scio tres imperiorum esse formas, Monar-  
 chiam, Aristocratiam et Timocratiam: politico-  
 rum omnium prudentissimus ad Rempublicam sum ad-  
 movendus. Ius denique omnibus rebus, actionibus, et  
 personis contineri subodoratus: et Papiniani et  
 Ulpiani praeferrere gaudio. O regie educatos ado-  
 lescentulos! o egregie moratos et doctos! Quis  
 unquam putarat, privatam disciplinam, tantos  
 produxisse viros? Ad quem, quaeso, non dico ru-  
 musculus, sed constans fama de eorum doctrina  
 non pervenit? Eximia vero laus facere di-  
 dicisse, falsam pro vera eruditionem ostendisse.  
 Quid super his, nasutule, vana ista tua scientia?  
 quae si vera esset, ut non est, hominem tamen te esse  
 meminisse deberes, et didicisse illud:

E S.

HUM.

## ORATIO

**Tandem** Hunc Deus in mundo solet observare tenorem,  
**mannus.** Ponit humi ruidos, collis humo timidos.

Sed manum de tabula, commoveri videtur iste *Quæ-  
 λωτ* & Hinc verò si jam publicæ discipline  
 scholasticum consideremus, quàm longè ab illo,  
 quem jam depinximus, distet, apparebit, modò  
 verus Reipub: litteraria sit civis. Quod mores  
 attinet, eos usu & consuetudine didicit candidos:  
 doctrinam si spectes, non de ea, si quam possidet,  
 gloriatur, non prædicat: videt enim DEI donum  
 esse, non oportere gloriari: novit se non solum  
 sapere, ideòq; modèstè de se sentit: intelligit, eum,  
 qui se sapientem credit, longè à sapientia distare,  
 summum deniq; discendi incitamentum esse didicit,  
 putare semper, se parum scire, multa ignorare.  
 Sed hæc mitto, ne nimium videat nostram statum  
 collaudare, ut in nos illud tritū, Propria laus sor-  
 det, torqueri possit. Si porrò Auditores, rem pe-  
 nitus introspicere & ad perpendicularum exigere  
 quasi velimus, non multum certè differentia ap-  
 parebit inter privatam illam & latentem, ut verè  
 dicitur, institutionem & speluncas eremitarumq;  
 latibula. Quemadmodum enim eremita & ho-  
 mines *μωδὲ* *Ἰσπανοί* in hominum conspectum sese  
 dare ferè abhorrent, eosq; non secus, ac talpæ di-  
 urnam lucem fugiunt: ita & illi qui intra priva-  
 tos parietes Aristotelis acumen, Platonis sapien-  
 tiam, Ciceronis & Demosthenis eloquentiam ex-  
 piscari student, nunquam ex latebris suis ad bone-  
 flos

stos congressus se conferunt, nunquam cum sui  
 similibus versari desiderant, sed tanquam Ono-  
 erotale ab omni liberali consortio refugiunt,  
 malunt ibi esse, ubi soli sapere videantur, quam  
 ubi aliquo sint numero. Solitudo autem ejus- Lib. epti.  
 modi quid efficiat, ostendit nobis Seneca 3 Soli- 10.  
 tudinem, docens causam plurimorum malorum:  
 Solitudo est incitamentum ad omne flagitium  
 perpetrandum, fomes ad omnem libidinem sus-  
 scipiendam: hic Diabolus Ecclesia.  
 multum potest, hic vexat, hic tentat, ut ad nul- bis ca. 4.  
 la non mala adigat: Duo ei, ut docet scriptura, vers. 9.  
 resistere possunt, unus difficillime: Unde patet & seq.  
 non minus publicum privato esse anteponendum,  
 quam lucem tenebris densissimis, quam eremo-  
 conventum, imò quam vitam morti. Verè di- In epist.  
 ctum est, auditores, à Cicerone omnes morta- ad Att.  
 les eà conditione natos, ut nihil quod homini  
 accidere possit, recusare debeant. Tum sacre ac  
 profane littere testantur. Neminè enim esse, qui 3. Reg.  
 non aliquà culpà erroris humani teneatur. Hoc cap. 8.  
 cum sit, etiam optimos interdum in peccatum vers. 46.  
 prolabi contingit, & quandoq; bonus dormi-  
 tat Homerus, nec omni horà sapere possumus:  
 Unde etiam gregem Scholasticum interdum se  
 aliquo peccato obstringere, legesq; transgredi  
 Scholasticas, accidit. Ejusmodi autem transgres-  
 sionibus & erratis non connivent præcepto-  
 res, sed quod apertè commernit discipulus,

aper.



## ORATIO

**Cice pro Milon.** apertè in Scholis iusto. poenae rigore persequuntur. Cogitant enim non fenestras nequitiae per-  
 petrandae esse aperiendas: mente illud Oratoris  
 revolvunt: *Quis ignorat, dicentis, maximam ille-  
 cebram esse peccandi spem impunitatis.* Ergo de  
 iis poenam sumunt, quarum scelus nullo excusa-  
 tionis velo tegi potest: improbitatem retundunt,  
 ne impunitate augeatur. Et haec publica poena-  
 rum executio, quis non videt, quid in se pietatis  
 habeat inclusum. & quis non sentit, quid fructus?  
*Quis deniq; non intelligit, quid utilitatis ubi le-  
 ges, sine quibus nec ipsa Schola, nec praecpto-  
 rum auctoritas, nec vera disciplina stare potest,  
 violari non conceditur: ubi ad meliorem. & sa-  
 nio- rem mentem, à scelere & petulantiae pire-  
 quisq; reducitur, ubi deniq; scandali occasio cuiq;  
 praeciditur, & ceteri omnes à similibus flagitiis  
 deterrentur & ad meliorem officii sui functionem  
 suscipiendam incitantur.* Quae de re dicendi au-  
**Plato in Gorg.** tor gravissimus Plato sic inquit: Poenae & iis qui  
 deliquerunt & spectatoribus prosunt: utriq;  
 enim meliores redduntur, hi exemplo, illi suppli-  
 cio: Agite jam auditores, ingrediamur etiam, si  
 placet, privatorum praecptorum aedicular: per-  
 contemur, an & illi tam severe in suos delicatulo-  
 los, qui ad nullum, icem sustinendum sufficiunt,  
 quorum tenella cuticula, vel minimo ferule tactu  
 maximos dolores sentit, & ad quemvis virgulae  
 strepitum exhorrescit, animadvertant, animad-  
 vertant, inquam videamus. Si quicquam deli-  
 que:



querunt, privati illi ( ut cum Erasmo loquar )  
 Jun. kerri (ignoscat Cicero ) tantum abest, ut pri-  
 vatus magister illud verberibus corrigat, ut eti-  
 am verbis vereatur, ne liticulam moveat. Non  
 probanda quidem videt committi, dolet & quasi  
 mater languentem filium summo cum animi dolo-  
 re aspicit, avert corrigere, sed emendare non au-  
 det: Recordatur sibi eum ursis feroculis esse ne-  
 gocium, qui irritati dentibus & unguibus suos in  
 magistros irruunt: tenet cum Cicrone præce-  
 ptum illud Euripidis: τὰς τῶν ἀγαθῶν ἀ-  
 μάξιλας φέροντες: veretur, ne sibi periculum  
 instet ab illis. Agnoscit enim que δίδουται Li-  
 no fuerint persoluta, à quo cum Hercules imperi-  
 te canens increparetur, ille pleetro præceptoris  
 capiti injecto miserum interemit. Perspicit quid  
 evenerit Senecæ, qui ob plagas, quas Neroni pue-  
 ro inflixerat, postquam ille luporum catulus ado-  
 levisset in labro aque calide venas secare jussus  
 interiit. Hæc omnia præceptoris privato silen-  
 tium imperant nisi anguinam ferre mercedem ve-  
 lit pestemq; malam sibi oppetere. Ista autem  
 omnia in publico munere constituti præceptores  
 parvipendentes pœnam de immorigeris poscunt  
 & tam nobili quam ignobili, tam divitis quam  
 pauperis filiis, si commereantur virgas impin-  
 gunt: & salutaris esse ducunt vel in Phalaridis  
 taurum descendere & eum Aristareho Nicocre-  
 ontis mortario contundi, quam perfidè, si nacti  
 fuerint, spartam administrare. Hæc sunt magna,

Erasmus.

lib. 2. epo

Attic.

Euripid.

Philip.

lib. 2.

Chron.

Tacitus.

Cic. 2.

Offic.

Dioge.

Lat. lib. 7

Cic. 3. de

natur.

hæc



## ORATIO

*Hæc in aprico posita : hæc si rectè examinentur ,  
 ejusmodi sunt , ut quemvis ex occultis illis & ob-  
 scuris latebris meritò eruant , & ad publicam dis-  
 ciplinam tradueant . Verum subolet istos pul-  
 chellos & tenellos privatos hæc justa præcepto-  
 rum nostrorum severitate minus moveri , quia  
 quid rationibus conducatur , propter densissimam  
 mentis caliginem non perspiciunt . Probanda ma-  
 gis , inquit , præceptorum lenitas & indulgentia :  
 non sumus ita arctè tenendi : largiendum est  
 nobis aliquid : commivendum vitis nostris , igno-  
 scendum si delinquimus . Quid igitur faciendum  
 auditores : nolunt honestà disciplinà moveri isti  
 mollitie pene diffuentes filioli ? Quid , inquam ,  
 faciendum ut ex erroris tenebris eos erigam & ad  
 mentem saniozem defloctam ? Agam ut præcepto-  
 res solent , qui puerulis primum in Scholam dedu-  
 ctis mellitis quasi verbis ablandiuntur , præmia  
 promittunt , placentulas ostendunt , ut sic Scho-  
 lae amorem in eis excitent . Hos ego ut dixi imi-  
 tabor , quo tandem aliquando in rectam viam er-  
 rantes deducam . Videte ergo præceptorum pu-  
 blicorum comitatem , spectate elegantiam , consi-  
 derate facilitatem : qui quando in publico sudant  
 sudore , si quos diligentie majoris vident , bone  
**DEUS** , ut laudant , ut extollunt , ut virtutem  
 prædicant , diligentiam plenà manu in astra usq;  
 ferentes Quo ipso non solum ii , ad quos hi laudum  
 tituli deseruntur , titillant , sed etiam ignavi , qui-  
 bus*

bus studia pensam congelant, ex pigritie  
 somno excitantur: sentiunt, quam sit *θεῖον ἄγχα*. Ex Plato.  
*Ἰδὲ πλεῖν*, ut loquitur Cicero. Ergo sese eri- lib. 5.  
 gunt, ignaviam exuunt omnem, diligentiam in- Cic lib. 1.  
 duunt novam: pœnitent ante acta vita, pudet epist. Fa-  
 pigritia, piget Socordia: emulatione & imi- mil. 7.  
 tatione, qua nulla, teste Cicerone, præstantior  
 est disciplina, ita erudiuntur, ut nihil, quod ad  
 accessionem eruditioni faciendam faciat, præter-  
 mittant: ante oculos sibi ponunt suos commili- Plutarc.  
 tes, qui sunt *ἄλλοι ἀριστοὶ* & ardore di-  
 scendi non minus quam Themistocles olim *Μυλ-*  
*ῖαδης* trophæo excitantur: Hos sequuntur, bo-  
 nas literulas amant, cogitant, somniant, & illum  
 sibi perisse queruntur diem, quo nullam, ducere  
 lineam licuerit. Horum omnium quid in priva-  
 tis latibulis, præsertim si spectetur emulatio,  
 præstetur manifestum est. Quin & publica  
 nostra institutio hoc præ privata habet in se  
 boni, quod is, qui natura sunt timidi, ad-  
 dat necessariam quandam animosstatem, eum  
 contra rusticum timorem conciliet privata.  
 Publica institutio hoc efficit conversando,  
 ut honestorum virorum familiaritate comiter  
 & eleganter uti possimus. Publica insti-  
 tutio hoc efficit disputando, ut cum aliqua  
 de re questio enucleanda occurrit, non ob-  
 stupecentes asideamus, non tanquam muti  
 pisci

## ORATIO

pisciculi os tacitū præbeamus; sed pro ut fert no-  
 stre eruditionis suppellex modeste depromamus.  
 Publica institutio hoc efficit orationis stylum ex-  
 ercendo, ut cum aliquid pennis tractandam & ex-  
 hibendum, non statim omnia, quæ scribenda ex li-  
 bris anxie digerere necesse habeamus. Publica  
 deniq; institutio hoc efficit declamando, ut cum  
 populus ad æternam salutem informandus, ad justi-  
 tiæ regimen assuefaciendus, ad rem familiarem fi-  
 deliter administrandam coaptandus, non timide &  
 hæsitanter dicamus, sed summa cum laude omnia  
 præstemus. Quorum omnium ne minimum qui-  
 dem à timidis illis admodum duntaxat & idiotis præ-  
 oratoribus, qui ferè præ superbia desipiunt, & plerunq;  
 turbatum in Ecclesiis, tum in Rebus publicis gra-  
 vissimas dare consueverunt, expectari potest. Id  
 quod exemplis planum facere non esset difficile:  
 Verum res verba non desiderant: Et mihi mode-  
 randum esse orationi meæ, & satietatem vestram,  
 auditores, fugiendam sentio. Quapropter præ-  
 termittam: resicite vos tantum ad jucundissima-  
 rum Scholarum recordationem, quarum plurimæ  
 sunt per orbem mitiorem constitutæ, & adhuc  
 quotidie, DEO gratia, constituuntur. Recor-  
 damini, queso, quam multas olim Imperatores  
 Academiæ & Scholas extruxerint: admirantini  
 quantis easdem immunitatibus donarint. Certè si  
 mihi Demosthenis facundia, si mihi Ciceronis elo-  
 quentia, concessisset, non equidem possem voce  
 sat magna, oratione sat uberi majorum in consti-

S. U. N.



tuendis Scholis & Academicis, pietatem, bonita-  
 tem, laudare, predicare, celebrare. Qui enim  
 possem? Convertite enim vos mecum ad earum,  
 dem contemplationem. Est urbs Vienna clarissi-  
 ma, quæ jam ab annis mille ducentis & triginta  
 septem artium liberalium studiofis hospitium  
 præbuit. Est Heidelberg, ubi jam ab anno 1346.  
 Academia floruit. Est Colonia ubi jam 1388. Er-  
 phordia, ubi 1392. Lipsia, ubi 1408. Rosto-  
 chium, ubi 1419. Lovania, ubi 1459. Basilea,  
 ubi 1460. jam ab anno Academia in flore, vigo-  
 re, honore. Quid dicam de Academia Grys-  
 waldensi quæ anno post natum Christum 1460.  
 constituta fuit? Quid de Tubingensi, quæ anno  
 1477. erecta? quid de Moguntinensi quæ anno  
 1482. emerfit? quid de VVitebergensi, quæ an-  
 no 1502. initiata fuit? quid de Francosurtana ad  
 Viadrum, quæ anno 1506. exhibita. Marpur-  
 gensem quod attinet ea anno 1526. Regiomonta-  
 na verò anno 1544. Jenensis anno 1548. Ar-  
 gentinensis anno 1563. Altorfiana anno 1574.  
 Helmstadiana anno 1576. Quin & ejusmodi pie-  
 tatis lucem in adolescentiori Academia præter-  
 lapso anno inclyta Hassorum Giffena fundita ob-  
 ortam videmus. O sapientiam veterum nun-  
 quam satis laudabilem, ô pietatem incredibilem,  
 bonitatem immensam, emulationem recentium  
 honestissimam, nunquam ex mortalium memoria  
 vitæ evellendam, sed ad totius orbis terræ me-  
 moriam sempiternam in fastis reponendam; Tan-

## ORATIO

ta enim hæc omnia sunt, ita magna & splendida, ut singularum Academicarum præstantiæ, laudibusq; recensendis, nec ipse si revivisceret suæ orationis divitis Cicero, neq; si resurgeret sua facundia Demosthenes sufficeret, nedum ego, qui in oratione nihil præter angustam paupertatem reperio, in enarrandis iisdem aliquid præstarem: quare commemorasse tantum sufficiat. Et ne aures vestras obtundere videar, plurima lubens præterebo: præsertim cum vos nostra de publica privata longè antefrenda disciplina sententiæ affixos esse ita speculor, ut etiam injuriam vestræ prudentiæ quodammodo illatus videar, si tam malè mihi de ea pollicear, ut vos pluribus verbis ad nostram sententiam amplexandam excitandos putem.

Ex dictis igitur, auditores clarissimi, quanta sit publicæ disciplinæ præstantia, quanta dignitas, quanta utilitas, quamq; longè illi, quæ sub laudibus & privatis laudibus habentur præcellat, quin omnibus pervium existat, nullus dubito. Agite ergo omnes, quibus Scholarum publicarum ampliandarum cura incumbit: qui ad hoc à DEO benignissimo, ut sub vestro favore Scholæ vigent & floreat constituti estis. Vos inquam agite, Scholæ publicas fovete: facite, quæ à Deo vobis dati sunt muneris: cura prospicite, favore armate, auctoritate & consilio roborate, tutela servate. Hoc erit animi hoc erit ingenii vestri, hoc erit ejus spei, quam habere debetis amplifi-

S E X T A.

37

plificandæ dignitatis vestre. Imò hoc si fieri.  
etis, exultantem in hisce torris Christi Ecclesiam  
magnis subiectis subsidiis, ius & equum servan  
bitis, & tandem ex vivorum numero sublato  
ad coronas cœlestes, ubi æternis gaudiis  
perfruemini, evolabitis.

Elaborata & recitata à  
Michaele Einspergio  
Holsato.



F 2      O R A.

ORATIO  
ORATIO SEX-  
TA, RESPONDENS  
argumentis pro privata in-  
stitutione allatis.



UO prater cetera nobis à DEO  
Ope, Max. hominibus beneficia,  
Audicores reverendi, amplissi-  
mi, ornatissimi, quibus non im-  
menso solum brutorum animan-  
tium tum fortitudinem, tum pernicitatem posse  
nos relinquimus inter vallo, sed & mortales alii  
alios antestamus, collata sunt maxima, ratio  
scilicet & oratio. Atq; hæc quidem divinitus  
data, ut societatem vitæ civilis conciliemus, æ-  
quitatem conservemus, legem & gregem pro-  
pugnemus, rerum commercia, prudentiæ consi-  
lia sapientiæ divinæ atq; humanæ necessitudines  
inter nos & communicemus & celebremus. Illa  
(licet peccati interventu horribiliter corrupta,  
ut tantum quædam obscuræ pristini ignis scin-  
tillula manserint) cælitus hominum mentibus  
inserta, ut quæcumq; in humanis approbanda  
vel actitanda occurrerent, ad hanc veluti ad la-  
pidem Lydium revocent: quæ ad istum qua-  
drant,



dunt, aut saltem non nimis horride discrepant  
 reverenter accipiant: quæ verò nimis abnor-  
 mia sunt, ut reclames vel aperta ratio, vel ex-  
 perientia, vel utraq; simul: tanquam erronea  
 palam improbent & exagitent. Etenim hæc  
 de Tullii sententia, si sit bene adbibita, cernit  
 quid optimum sit, neglecta multis homines impli-  
 cat erroribus. Quod ipsum hoc ipso temporis mo-  
 mento in his q; vi sunt illius controversia, utrum  
 privata, an publica præstet instituendi ratio, in  
 hoc publico theatro decidende causa congressi,  
 verissimum apparet. Quando hi pro Scholis  
 publicis causam dicentes de rectæ rationis nor-  
 ma & ductu, tantam suæ sententiæ fidem fece-  
 runt, tam immobilibus firmamentis corrobo-  
 rarunt, ut etiam nolens volens manus dare illis  
 cogar. Illi ingenii sui lusibus & voluptati indul-  
 gentes rectæ rationis cynosuræ prolepsibus aspe-  
 ris obstructa, non se ipsos in inextricabiles de-  
 informatione errorum labyrinthos profundissi-  
 me procruserunt modo; sed etiam præcensuram  
 auditorum nonnullos letiferis orationis vibrose  
 telis ita sauciarunt, ut nisi salutare vulnere re-  
 cens perfosso emplastrum imponatur publicis  
 Musarum delubris ruina impendeat maxima. Virg. 1.  
 Quam, quod ait divinus Poeta, qui adverso Georg.

## ORATIO

*Vix flumine lembum Remigies subigie, si brachia  
 forte remisit, Atq; illum in praeceps prono rapie  
 alveus amni. Non aliter cum Scholis publicis  
 actum putabo nisi aliquis adsit modica manu &  
 purget helleboro ocysimè Carneades, qui fabri-  
 catis forcipibus Theonis illius dentes, ne in po-  
 sterum tot verborum laciniis optima quaeq; in-  
 stituta contumeliose lacerent, evellat. Non qui-  
 dem is ego sum: attamen viris equisq; vestrà ut  
 spero Audit: etiam voluntate, cause bonitate,  
 fretus, firmissimisq; veritatis ponderibus sufful-  
 tus, quæ in publica digladiari gaudet palastra,  
 quæq; nusquam vestigatur felicius, quàm contra-  
 riis infestata & acerrimis discussa partibus, o-  
 mnia antagonistarum argumenta, sannarū re-  
 lia, scommatarum plaustra, ad Scholas publicas la-  
 besactandum unice erecta, partim quo evola-  
 runt, retorquere, partim ad rationis incudem &  
 veritatis perpendicularum revocare, contendam.  
 Ut sic tanquam rectè dignoscere possitis, quoniam  
 meliori jure suffulta pars victrix evadere que-  
 at & ecquid legitime probari possint ulla crimi-  
 na, quibus publicas Scholas non tam in visas &  
 infames tanto nisi reddere, quàm funditus solo  
 equare laborarunt. Id quod jam erit facillimū:  
 nam ut Arcabanus Histaspis filius agebat, nisi  
 di versa inter se dicantur sententiae, non potest  
 quis*

quis eligere meliorē, sed necesse habet ea, quae dicta est, uti. At cum plures dictae sunt, licet tanquam aurum purum deligere, quod per se discerni cum nequeat, comparatum cum altero discerni potest. Ad antiquitatem itaque, ad quam ceu tutissimum asyllum & propugnaculum confugiunt. Adversarii quod accinet, nescio, meli' briste, quid posse probationis alicujus factis illa vel dictis addere. Non enim ideo verum quid & rectum per se: quod promiscue sit antiquum. Et quis unquam vidit quod ab initio vitiosum fuit, tractu temporis convalere? De vulgi non vanum est proverbium: quod annorum mille spacio fuit iniquum, nunquam fuit ante, nec erit post haec aequum. Ego, Auditores, cum orbe sapientie, cum majorum inventa & gesta non vetustatis modulo, sed veritatis & aequitatis lance iudico aestimanda; suam vetustati laudem non detraho: promissi, uero cuiusvis eam praetendenti nec detero, nec debeo. Atqui ad Adamum & Noham provocatis, qui non obscure quid aequum, quid iniquum, quid justum, quid injustum foret videntes, attamen suos privatim liberos ipsimet leguntur instituisse. Habetis hic Adversarii, & accusatoribus maxime est optandum conscientem reum, attamen ita conscientem, ut habitam ab Adamo et Noha necessitatis, quae nullis de vinciri potest legibus, non praestantiae ratione contendat.

Herodotus  
lib 7. supra  
in Polym.

In Novell  
lib consti.  
134.

Quem



ORATIO

Quem enim hominum Adamus & Noha praeficere filiis didascolum quibant, cum hujus mundi theatrum, à dictorum familiis si discedamus, ab hominum cultu erat inanissimum. Extrema igitur necessitate adducti non quod perferrent privatam publicae institutioni, filios informarunt, sed ut caverent, ne iisdem, quod secundum Postam agris neglectis accidere, consuevit, urenda silix, hoc esse, insanabile vitiorum cacochthes innaferetur. De Abrahamo velle tacuisset Adversarius, quàm tam inconsideratè ipsi & perfricta cum fronte odium publicae disciplinae affinxisset. Etenim vel ex unico illo quod in Genesi 12. de eo predicatur, capisse eum nomen Domini invocare, potest liquidissime constare, quod non privatim suos, sed & alios docuerit. Quis enim aliter illud quam de publica institutione unquam accepit? quis publicam hanc doctrinam esse negabit, quam ipse fidenter & professus pater credentium dictus est? Insuper sexcenti mille illi terra marique sub Moysi disciplina viventes Israelitae à quo etiam omnia Jehovae praecepta sunt edocti, quid aliud quam publicam majoribus instituendi disciplinam fuisse celebratam demonstrant? quid Prophetarum publicè discendum catervae? quid duo-

Horat. 1.  
Serm.  
Satyr. 3.

Luth. in  
Genesim.



duodecim legatorum Christi collegium, reliquiq;  
 pene innumerabiles Christi discipuli, quid aliud  
 inquam, quàm publicam institutionem confir-  
 mant? Prospexit Adversarius infirmitatem  
 hujus rationis, ideoq; ei quasi diffidens ad aliam  
 in qua se insigniter jactat delapsus, tantum no-  
 exultat & magnificè triumphat. Mores ait cor-  
 rumpi in antris Scholarum publicarum à de-  
 bacchantibus & deblaterantibus publicis præ-  
 ceptoribus, Orbiliis plagosis & ebriosis. Ubi re-  
 rum sumus. Auditores? Scholæ publicæ antra  
 appellantur, præceptores plagosi, Academici  
 bacchantes? Num priscus mos rediit? & con-  
 vitia jaciuntur e palustro? Pueri cum quid com-  
 miserunt reprehensione & pœnâ dignum, id in-  
 nocentes transferunt ipsi maxime fontes: haud  
 secus hic buccinator laudum discipline privatae,  
 quod in ea & jure culpatur, & omnibus exosum  
 est, id transferunt in publicam. Antra appellat  
 Scholæ publicas, quid vobis videtur. Audito-  
 res, publicæ Scholæ, an privata antris simi-  
 liores sunt? Edificia publicis in locis splendi-  
 dissimè exstructa, omnium prætereuntium ocu-  
 lis exposita, cui vis tam notæ, quam ignotæ adiecit  
 parentia; an verò subterranei specus quidam,  
 vel secretiores collata, ab omni hominum con-  
 sortio,

## ORATIO

fortio, quandoq; etiam animantium sejuncta,  
 quandoq; nec solis, nec luna radiis exposita, quae  
 privatorum quorundam praeceptorum sunt do-  
 micilia, antra nisi maris spelea, rectius appel-  
 lentur? Ubi plagosi magis quam in his lustris  
 reperiantur, nulli lustrationi seu rationi reddenda  
 obnoxii: agunt praeceptores sapius ebrii  
 quam sobrii quicquid visum est. Si parentes id  
 quod ὀνόμαστον ejusmodi αἰδραποδοῖν, ut  
 Plutarchus eos appellat praeceptores agit, re-  
 prehendant, domum eos curare jubent, sibi disci-  
 plinam commissam resposant. At quid ejus-  
 modi meruendum in Schola? quae tantis legum  
 de vincula est repagulis, quantum nec ullam quidem  
 resp. aliam. Est factor, honoranda civium co-  
 rona in politis suis astricta legibus; sunt &  
 opificum collegia legum circumscripta cancellis:  
 sed utraq; pars, nullis aliis praeterquam suis de-  
 zentia; cum Scholarum publicarum turma non  
 minus publicis, quam privatis legum Scholasti-  
 carum clatris obligentur. Haec morum suo-  
 rum censores habent suggestum & tribunal, cu-  
 riam & forum. Ab his nullius criminis erra-  
 tum contra minutissimum etiam legum apicem.  
 Si quandoq; est commissum, pro DEVM bo-  
 num quantum illic non tam à primatibus quam

In Peda-  
 gogia.

inf.



infimis proletariis in Scholis fannarum & Quinil. &  
 scommatum plaustra projiciuntur. Tantum igitur institut.  
 abesse, ut pueri in Scholis corrumpantur, ut Orat. lib.  
 etiam mores, quos illic à famulis domi corru- u. cap. 3.  
 ptos intulerint, castigatos exinde efferant. Ad-  
 dam quod in privata institutione in pueris non  
 modo non mali mores emendentur, sed sapissi-  
 me à præceptoribus consilio & præmeditatio in-  
 stillentur, cum in iis conducendis parentes non  
 pietatem, non eruditionem, non vitæ integri-  
 ratem spectent, sed præcii vilioris rationem ha-  
 beant. Unde non rarò contingit ut hujuscemo-  
 di pedagogi butcubattam lolio permucent, hoc  
 esse, parvo parva doceant. Vidit hoc gravissi-  
 mus auctor Plutarchus ideo indignissime ferens  
 ait: Νῦν δὲ τις καὶ κατὰ τὴν οὐσίαν τῶν πατέ- In Pedo-  
 ρων ἐνίων, οἵτινες περὶ δοκίμασαι τὸς μέλα- gogis.  
 λοντας διδάσκουσι δὲ ἄγνοιαν, ἔαθ' ὅτε καὶ δι'  
 ἀπειρίαν, ἀνθρώποις ἀδουκίμοις καὶ κερασί-  
 μοις ἐγχειρίζουσι τὸς παῖδας. Καὶ ἔγωγε τῶ-  
 τό ἐστι κατὰ γέλασόν, εἰ καὶ δι' ἀπειρίαν αὐτὸ  
 πρὸς ἡσίοις ἐκάνο δὲ ἐχάτως ἀτοπον. Τὸ πᾶσι  
 ἐνοίτε γὰρ εἰ δόξαις ἀλαστομένων μάλλον αὐτοῖς  
 τῶτο λεγόντων, τῶν ἐνίων τῶν παιδευτῶν ἀ-  
 πειρίαν, ἀμα καὶ μοχθηρίαν, ὅμοις τῶτοις  
 ἐπιτρέψαι οὐκ οὐκ οὐκ. οἱ μὲν ταῖς ἀρετῶ-  
 μένων ἠττώμενοι κολακίαις.

Nunc

ORATIO

Nunc verò quis non despuat in patres nonnul-  
 los, qui priusquam explorent doctores per igno-  
 rantiam; est & ubi per imperitiam id fiat; ho-  
 minibus obscuris & nulla præclara fama nota-  
 tis, in manum dant liberos. Ac baud adeo id  
 est deridendum, siquidem impericia id agunt.  
 Illud verò extrema absurditatis est. Quod-  
 nam? interdum enim scientes; & vel iis qui co-  
 gnorunt magis, narrantibus quorundam pue-  
 ros moderantium imperitiam juxta atq; impro-  
 bitatem; tamen iis committunt liberos, ipsi ni-  
 mirum amicorum superari blanditiis. Videtis  
 hinc Auditores ejus coloris sint pleriq; priva-  
 ti pedagogi. Sed videor mihi aliam audire vo-  
 cem: unum puerum in præceptore excitare ma-  
 jorem diligentiam, eumq; ad quavis abdita  
 eruenda reddere alacriorem. Hoc quàm sit  
 elumbe, quàm ficulneum non ex me, Audit:  
 sed ex Scholareba. Primitiano in Scholis ex-  
 ercitatisimo, quæso audiat in hæc verba  
 erumpente: Optimus quisq; præceptor frequen-  
 tia gaudet, & majori se dignum teatro judicat.  
 Audite sine nausea Nasonem: Excitat auditor  
 studium laudatq; virtus. Crescit, & immensum  
 gloriæ calcar habet. Nam veluti hortulanus,  
 dum suaviorem ex complurium, quàm ex uno  
 aliquo,

Lib. 1.

Instit.

Orat. c. 3.

Ovid.

lib. 4. de

Ponto.





aliquo flosculorum fasciculis & arcis odorem  
 persentiscit, dumq; ex his ad se fructum copioso-  
 rem redundaturum sperat, sedulâ curâ ut singu-  
 la incrementum germina sumat, omnes vias ra-  
 tionesq; imit: ita nec bonos præceptores piget, nec  
 pœnitet totas noctes insomnes transmississe:  
 quando ex Scholis suis tanquam ex equo Tro-  
 jano Antistites religionis Luthero & Chemni-  
 rio haud absimiles; Sacerdotes juris Bartholo-  
 & Bald: non multo inferiores; medicos Hippo-  
 cratis & Galeni principatum affectantes non  
 obscure provident prodituros. Fructus enim  
 ingenii & virtutis omnisq; præstantia, quemad-  
 modum Cicero ait, tum primum maxime capi-  
 tur, cum in proximum quemq; conferetur. Aliud  
 ex cæno scommatum deductum, quo publicè do-  
 centes tanquam turpissimâ infamiae labe con-  
 spurcare, sed conatu vano, conantur, depromunt  
 sententiæ adversæ propugnatores, videlicet  
 quod nimio lectionum innovandarum & au-  
 ctorum mutandorû pruritu distineantur. Quod  
 sanè in omni vita genere perniciosissimum est  
 vitium: cum, quod vicissitudo omnis sit pericu-  
 losa, tum etiam, quod vetera plerumq; meliora  
 novis. Verum nullo jure præceptoribus publicis  
 talia exprobrantur: immò venenatis calumnie  
 telis

Cic. in  
 Lelio st.  
 ve Dial.  
 de Amic.



## ORATIO

sels ejusmodi in eos conorquentur. Nam, ut  
 alias saltu praecevolemus levissimo, si nostrae  
 tantum Scholae contemplerur & disquisitione  
 accuratioe constitutionem pensitemus, non ali-  
 am viam docendi hinc etiamnum observari, non  
 alium auctorum ordinem deprehendemus, quam  
 qui ante decennium vel ultra introductus flo-  
 ruit. Loco me deturbatore, sub sellia cathedra  
 erroris me convincite, vosq; parietes grandem  
 mihi impingite dicam, verbulum si falsi profero.  
 Et esto, Janè: quod antiquis spreto, inducant  
 nova quadam quidam Pädagogiarcha. Quid  
 eum? non sine ratione faciunt. Non diffiteor  
 equidem cum J. C. eo nihil esse facile mutandum  
 ex solennibus; cum eodem tamen quoq; ex eadem  
 l. non affirmare nescio, subveniendum ubi evi-  
 dens aequitas poseat. Cum enim nihil in rerum  
 natura sit omnium quod se in univ. sum pro-  
 fundat, quod totum repente evolet, Tullio atte-  
 stante: & primordia rerum omnia sint parva  
 eodem teste, quae suis usa progressibus augentur:  
 & sic etiam nulla ars de repente, ut perspicacissi-  
 mus Scaliger docet, excrescit perfecta: sed quae  
 omnium seculorum viri doctissimi in eandem  
 perfectione desudarint: quem hominem tanto

TENS.



tenebrarum fascino obductum credimus, quem  
 tantis invidia telis vibratum dicemus, qui ve-  
 terum, quorum quaedam cimmeriis tenebris  
 obscuriora, quaedam irremediabilibus labyrinthis  
 perplexiora, quorundam scriptorum oceanum  
 incaute juvenuti propinare, quam eandem  
 in melioribus, per normam iudicii probe exa-  
 minatis: & limâ philosophicâ subtiliter expoli-  
 tis, malit inormare. Etenim is homo, meo  
 iudicio, qui cui fontis illius datur copia, è la-  
 cleis aquasordidas haurit, qui neglectis nu-  
 cleis vescitur glandibus, stultissimus sit. Ex  
 Romam abituro nonne melius est, viâ pro-  
 gredi regiâ, & viginti diebus sine difficultate  
 cursum absolvere, quàm per inhospita tesqua,  
 per flexuosas viarum salebras, & per ignota,  
 lubrica & incerta litorum errabundum quin-  
 quaginta diebus immenso cum labore discurrere,  
 ut perveniat eodem? Puerilis igitur Ad-  
 versarii, & nullius roboris hæc est machina:  
 quâ publicæ institutionis conclavia arieta-  
 re fuistis annisi, quin ocyus fabricum ferrario-  
 rum officinas aduntes validiores petite arie-  
 tes. At heus, manote: aliud vestra  
 vulpocula publicè docentibus oggannie, pri-  
 vatim

Vatum

ORATIO

vatum præceptorem nempe unius discipuli mo-  
res & ingenium magis explorata habere, quàm  
publicum multorum, proindeq; ei informando  
operam suam melius accommodare posse. Hic  
enibi de novo silentii frenos injicio. Arcescatur;  
ut Scholarum causam agat, certitudinis norma  
infallibilis experientia, quæ contrarium in uni-  
co Ulysse evictentissimè demonstrat, qui quod  
attestante Homero: πολλῶν αὐτῷ πρώτων ἰδέει  
ἀστῶν καὶ νόον ἔχων, ideoq; ad cujusvis ingenii  
se potius applicare & inclinare. Haud abhmi-  
les huic præceptores publici compereum habentes  
variorū ingeniorum differentias, quomodo sin-  
gulis inferviendū & norunt optime, & qua cuiq;  
necessaria subministrant felicissimè. Etenim o-  
mnibus, quod ajunt, modis omnes incitant. Et  
quomodo de Automedonte ait Homerus:

Lib. 1.  
Odyss.

Iliad. 9.  
sive 17.  
lib.

Πολλὰ μὲρ ἄρ' μάστιγι δοῖ' ἐπεμοῖτο προθνήσκων  
Πολλὰ δὲ μελιχίοισι προσκύνει, πολλὰ δ'  
ἀρεῖν.

Id est: Sapius quidem scutica cæca concitabat  
verberans, sapius vero blandis verbis allocutus  
est, sapius minis: ita præceptores publici &  
calcaribus uei & increpationibus & frenis co-  
hibere ac demulcere laudibus pro varietate mo-  
rum ingeniiq; solent, atq; efficiunt ut singuli pro  
genio & natura sua proficiant. Et quid opus  
est



est in re manifesta? Si collegia Theologorum  
 collustramus; si Causidicorum subsellia perve-  
 stigemus; si Medicorum palastram & Philoso-  
 phorum arenam ingrediamur, ad unum omnes,  
 si à paucissimis discedamus è Scholis publicis  
 profuisse, indubitato offendemus. Denique  
 quicquam relinquunt intentatum, auctoritati-  
 bus virorum pietate & virtute præcellentium,  
 cause nostræ arcem, sed Andabatarum more,  
 expugnare & obruere laborant. Siquidem hi  
 viri omnes, quotquot modo producti; vel æquo-  
 res sunt: ut parum, vel quicquam nostris, par-  
 tibus decrabant; vel plane nobiscum faciunt.  
 Etenim quis est qui nesciat piensissimum Re-  
 gem & Prophetam, in acerrima cum esset eum  
 morte lucta, filio Salomoni Regi futuro, saluta-  
 ria quam plurima de recte regno administrando  
 præcepta tradidisse? At neq; etiam, opitior,  
 quem fugiat Davidem eundem Salomonem fi-  
 lium suum cum aliis regis filijs in Nabania  
 Prophetæ doctoris publici publicam dedisse di-  
 sciplinam. Et specialiter igitur & unius temporis  
 facti totam actionem infirmare absurdum est  
 absurdissimum. Augustus & Julius Cæsares,  
 hoc ipso quod ipsimet suos instruerent filios, ali-  
 ud nihil, quam publicas sibi curæ & cordi esse

G

S. bo.



## ORATIO

*Scholas voluerunt indignare. Carolus Magnus Imperator tantum abest ut ille improbaret publicas Scholas, ut etiam sua presentia condecorare eas non sit dedignatus. Quod vel ex eo sermone quo pubem Scholasticam Lutetiae habita & tunc allocutus est, voce non minus pia quam heroica liquet. Sic enim diligentiores allocutus scribitur: Agite pueri & pergit pueri, ut capistis, ad amplissima praemia ambulare qui meam auctoritatem secuti estis. Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit: vestra sunt sacerdotia ex vobis Episcopus deligam: ex vobis Pontifices constituam. Vobis hic honor tributus erit, ut in his terris ad meum latus collocemini; ex alia vero mortali vita ad Christi dexteram sitis conspicui. Sed audite etiam quanta severitate nobilitatem ignavam, percutit. Vos vero belli & delicati delibatis & compositis capillis adolescentuli, qui parentum vestrorum facultatibus nitimini, & nobilitate confiditis: & Caesaris vestri auctoritatem, Imperatoris maiestatem contemnitis exemplum in vobis constituam severitatis & vestra ignavia. Hi imopes & pauperes vobis in honoribus anteponentur & praemiis praferentur. Deum immortalem testor, nullum vobis adium ad honores  
 & be-*

& beneficiorum fructum patere posse, antequam  
 in virtutis & diligentia & verecundia viam  
 redeatis. Quid cogitatis Audit: contemptus  
 hic est Scholarum publicarum, an verò ma-  
 gnifica predicatio? ubi os, ubi frontem ha-  
 buerunt Adversarii, cum hunc inter contem-  
 ptores Scholarum ponerent? Non est autem  
 hic solus qui Scholas in honore habuit. Ut alios  
 latere patiar, qui nomen ejusdem & majestatem  
 Imperatoriam post eum Carolus quarens ha-  
 buit, non dissimili erga Scholas affectu fuit: quem  
 in Schola Pragensi aperuit, quum quatuor ho-  
 ras integras sine ullo cædio auditor disputationis  
 esset & à purpuratis interpellaretur cæna tem-  
 pus adesse dicentibus, agebat: mihi verò tem-  
 pus est minime. Nam hæc mea cæna est.  
 Filii illi quos magnificè Adversarii laudant  
 Cornelie, Gracchi videlicet, unde prodierunt?  
 ex Schola utiq; publica, ut commemorat Valo-  
 rius Maximus. Sed quid in re manifesta am-  
 plius laboro? Omnibus omnibus, mediocriter  
 etiam oculato, clarissimè resulget, non plus hic  
 Scholarum publicarum sugillatores profecisse:  
 quam arrodens limam felis Æsopica linguam  
 sattem absumebat non limam. Nec non lucidissi-  
 me apparet, Scholas publicas tantum privatis



## ORATIO

ante cellere quantum lux tenebris, quodq; vis  
non minus, si modò totam rerum naturam  
non velimus collabi, quàm igni & aquâ carere  
quaeramus. Quippe quod in illis, tanquam in se-  
cunda sylva, firma Ecclesie fulcra robusta  
Reip. columna largiter producantur, qui-  
bus collapsis certissima totius hujus  
universitatis metienda fo-  
ret ruina.

à Casparo Theodori Be-  
verungenfi composita  
& recitata.



ORA.



ORATIO SEPTIMA UTRAMQUE  
conjungendam svadens  
institutionem.

**D**IUTURNAE altercationis, Viri Reverendi, amplissimi, doctissimi, prudentissimi, quae hodierno die usi sumus finem hae orationis meae adferet. Vicini enim discipulique mei, scopum illum ad quem summa diligentia collimant, attigerunt, & veritatem hujus quaestionis imprimis utilissimae, & non exiguo tempore in pulvere Scholastico agitata invenerunt: Quae, etsi saepe à tenebris plus quam Cimmeriis eruitur, & raro sub luminis oras prodit: Tamen diligenti & diuturna inquisitione cum nihil tam difficile sit, teste Comico, quod non possit investigari reperta est, & firmiter asserere ausim, neminem in hac celeberrima celeberrimorum hominum corona adesse, qui non palmam publicae institutioni ultero deserat. Et non immerito. Quid enim per Deum immortalem nobis adolescentibus, dum in iis artibus, quibus et a puerilis informari solet publicè detinemur potest accidere jucundius? Quid dulcius? quid quod nos magis ad alacritatem & diligentiam in studiis adhibendam incitet & stimulet, quam ubi audimus,

Terent.

Heauto.

A. 4.

scen. 2.



ORATIO

hanc institutionem, in qua vivimus ceteris omnibus præferri. Quid nos attentiores reddit ad dicta excipienda, excepta servanda & servata ad usum transferenda, quam institutionis nostræ laus, honor dignitas? Non autem hæc disputo vestrisq; auribus obrudo, ut planè vos in hanc opinionem deducam, quasi publica sola sit exercenda, & privata disciplina omninò negligenda. Absit ut hoc saltem cogitem. Tunc enim studiosæ juventuti anasam optimasq; condiciones, inter privatos parietes etiam studiis aliquid temporis tribuendi præriperem. Tunc maxima ex parte illis  $\nu\omicron\sigma\mu\iota\omicron\nu$  seu  $\text{Καλὸν ἔργον}$ , quod à sapientibus nobis haud immerito est commendatum, adeoq; à natura ipsa propositum, ut videlicet officium fideli studio exequantur abalienarem. Ego profectò (ut brevibus dicam) sola causa essem, ut non labori sed ocio, non industriæ sed libidini, non ingenuis artibus sed inertie se natos esse existiment. Quocirca ut hac me suspitione liberem coronidis loco (diutius enim detinendi non estis) modicè & breviter de utraq; conjungenda institutione dicam: sed laconico magis quam oratorio more. Non ut ei quidquam alieni affingam, aut quæ antea de hac materia satis copiose dicta sunt, amplificandi causa in majus extollam, quorum alterutrum si coner ipsi præceptores, ut sunt veritatis amantes, tanquam Achilli Homericæ Pallas, mihi manum injicient: sed ut nuda ac simplici orationis genere, quale

Isocra ad  
Demoni.  
Plato 1.  
de li.

Hiad. 8.

Euripid.

quale veritatis proprium esse, ait Euripides, ea  
 quæ ad rem facere videbuntur exponim. Vos  
 quæso Viri Reverendi, spectatissimi, eruditione,  
 prudentia, humanitate conspici, vosq; cæteri  
 bonarum artium atq; literarum studiosi, obnixè pe-  
 to, ut pro vestra pietate, candore atq; humanita-  
 te, hanc meam qualem cunq; oratiunculam præ-  
 dicitur & sine ullo splendore contextam patientissi-  
 mis & exquisitis auribus audiatis. Ac mihi pri-  
 mò illud maxima laude dignum & non solum ver-  
 bis, sed etiam litteris monumentisq; decorandum  
 videtur, quod in investiganda rerum veritate  
 quovis seculo omnes omninò bonarum artium pro-  
 fessores, nostri seculi etiam philosophi nulli labo-  
 ri parcant. Hæc quippe unica illa meta ad quam  
 Logicorum termini, physicorum contemplatio-  
 nes, Medicorum Canones, Iureconsultorum pla-  
 cita, & Theologorum testimonia diriguntur.  
 Hæc, ut scitè Menander, ἐστὶ θεῶν ὁμολογία,  
 μὴ τῶν θεῶν εὐδαιμονία, id est, veritas est  
 cæli civis, & sola fruitur conspectu Deorum.  
 Hæc sæpius alto silentii velamine obtegitur, &  
 cæcis tenebrarum noctibus involvitur ex quibus,  
 ut supra dictum, sunt iuorum furiosorum striges,  
 quæ cum solis lucem perferre & quod publica pla-  
 ne sit contemnenda doctrina, & quod solum inter  
 privatos parietes pueri sint continendi, obtinere  
 nequeant, feræ cantu in multorum pectoribus ni-  
 dificare, & volucres obscenas excludere, mentesq;



ORATIO

simpliciorum atris deceptionum praestigiis  
 nobis involvere & obvelare conituntur. Sed  
 cum rationes autumnalibus leviores floribus in-  
 medium attulerint, quod sperabant, obtinere non  
 potuerunt. Ideo volentes evitare charybdim  
 incidunt in Scyllam & quod antea abeneo muro  
 firmius crediderunt, iterum deserunt. & in alios  
 saniores, contemnificè profluentes, ita debac-  
 chantur. Et quasi de eruditis palma sit contentio,  
 sibi suisq; eam solis superbe tribuant, suaq; dūo  
 taxat sam.e modis omnibus velificentur. Homines  
 furentes, exultantes, exangvines, afluantes, ac  
 proinde rīu & contemptu digniores, quam quo-  
 rum insulsis boatibus convellendis, quis quam vel

**Aristote,** unam horulam impendat. Qui non verentur gra-  
 lib. 10 vi proferre supercilio: se omnem movere lapi-  
**Nicomo,** dem, ut omnem plane privatam institutionem tol-  
 lant. Quis hos non in manifesto errore versari vi-

**Erasmus** det? Quis non videt, in hos cadere quod Heraclitus  
 in Chilan aiebat: A snum stramentum malle quam aurum &  
 stolidis enim hominibus magis eaplaent, qua ad  
 defectum magis, quam profectum studiosa juven-  
 tutis faciunt, quaeq; illam in errores citius, quam  
 verum tramitem deducant. Iustas quapropter  
 condiscipulos his contradicendi rationes, illos au-  
 tem iniquas maledicendi habuisse patet. Sed cum  
 horum errores praecedentibus satis refutati sunt

**Horat. in** orationibus, supervacaneum esse puto longiori  
**arte.** vos detinere oratione. Sicut enim cytharadus quē  
 chorda semper oberrat eadem irridetur, & exam-  
 bic bis



*Ue bis recosta mortem adfert: sic tadio sum forte  
 sprete eadem vobis obrudere pagellas. Hoc igitur  
 tantum addo firmiterq; statuo, utramq; conjun-  
 gendam esse disciplinam, si messem tandem studio-  
 rum nostrorum velimus expectare uberrimam.  
 Nam si agricola novellas arbores summa cum di-  
 ligentia colunt, ut tempestivos sedere fructus va-  
 leant; quanto magis publicè in Schola docentibus  
 enitendum, ut rore utriusq; disciplinae pueri irri-  
 gentur uberrimo: A teneris enim conspescere ut  
 Foeta canit. multum est. Et in bene constituta Re-  
 publica hoc imprimis curandum esse soadet Socra-  
 tes, ut juvenes honestis instructi disciplinis quam  
 optimi fiant. Hoc enim cum perficitur, bone  
 Deus, quot oriuntur commodae quot voluptates  
 quot deliciae et quantis molestiis caret vita humana,  
 quantumq; ex ea tollitur difficultatum? Nullum  
 est tam vile oppidum, tam parva exilisq; domus,  
 quae si non multis, uno tamen atq; altero viro lite-  
 rato puerisq; bene moratis ornata sit, quaeq; nec  
 recusanda quidem, aut cum florentissima civitate  
 atq; provincia, comparanda foret. Hinc maxime  
 manat, ut sibi persuasum habeant, nihil in omni  
 disciplinarum genere, tam esse difficile, nihil tam  
 reconditum, nihil tam obscurum, nihil tam admi-  
 rabile, quod non possit hominum acrimonia per-  
 cipi et illustrari, ingenii acumine penetrari, stu-  
 dio, diligentia et labore vinci. Hinc tandem suo  
 labore doctrinarum arcem et summam eloquen-  
 tia obtinebunt, et aliquando sui ordinis homines*

Virg. ad.  
 Georg.

## ORATIO

Longè infra se positos læto atq; alacri animo des-  
 piciens: Nihil autem est quod tantopere nocet  
 juveni, nihil quod à linguarum studio magis re-  
 trahit, nihil quod animum vehementius rodit &  
 inertem facit, quam pestis illa truculentissima, cum  
 nimirum utriusq; institutionis vinculum disrum-  
 pitur. Hæc diligentes audentesq; à medio ad He-  
 liconem itinere retrahit. Hæc bona institutionis  
 fundamenta jacta convellit. Hæc omnes animi vi-  
 res debilitat. Hæc deniq; non tantum remissum in-  
 studiis & frigidū; sed etiam prorsus negligentē &  
 inertē adolescentē reddit. Et hinc maxime perspi-  
 citur & apparet, qui fiat, quod tam pauci hodie  
 repertantur, qui ad culmē eruditionis perveniant,  
 sed plerumq; tardiores & seigniores ad humanita-  
 tis & literarum studia fiant. Ita enim ingenium ju-  
 ventutis comparatū est, ut nisi quod publicè pro-  
 positum privatim quasi lacte materno imbibant,  
 imisq; sensibus includant inventos statim diffun-  
 dant. Hinc cum reposcitur, & quod semel concre-  
 ditum labore repetendum, is tantus illis videtur,

**Plutarch** ac si perpetuò per Athonis & Caucasi nives &  
**in Pæda.** per ferventes Lybiæ arenas illis gradiendum sit.  
 Quomodo hi ad præceptorem (ut optimè Plu-  
 tarchus docet) non aliter atq; sacrum epulum ac-  
 cedere possunt, animo videlicet placido & beni-  
 gno, ut ea laudent quæ pulchra & apposita illi-  
 quæ memoriæ commendent. Quis demum his contem-  
 ptior. Quis miserior & Desperant ubi fortibus au-  
 fisis Musarum sint hauriendi fontes, & cum otiose  
 dedant, quod omnium pessimum, nihil agendo ma-  
 le age-

Te agere discunt. Eat nunc Lucianus quispiam, per-  
 fricet frontem, & dicat, priuatam cū publica non  
 esse coniungendam institutionem. Quid enim?  
 Que Deum immortalem, portenta, si una negle-  
 cta, alteram exercent, reperiuntur. Nam si et si ali-  
 quam eruditionis imbibunt guttulam, & aliqua-  
 licet sit minima, vix ulla imbuuntur cognitione:  
 animum tamen cum bonis non excolunt moribus:  
 honestatem in omni vita ob oculos positam non  
 habent. Quod si quoque plurimarum rerum abso-  
 lutissimam scientiam adepti sint, ac turpiter ta-  
 men & immodicē vitam transigant. An propter  
 cognitionem & multiplicem eruditionem laude  
 digni sunt? Non sanē. Morum integritas plus ho-  
 minem exornat quam rerum noticia. Et quis ne-  
 scit eruditissimos etiam culpāri, si non ex rationis  
 præscripto vivant & benē sint morati? Qui verō  
 moribus excultus honestē vivit, is commendatur à  
 multis, & maximē haud insignem scientiam sibi  
 comparārit. Quid autem homo moribus destitu-  
 tus? An non, ut ait Homerus ἐτῶσιον ἄχθος ἀρδῶν Iliad. 6.  
 qnq; terra inutile pondus? Quid? Non tantū inu- lib. 18.  
 tils, verum etiam incurabilis. Ubi semel enim vi-  
 tium inveteravit, ibi nulla doctrina invenit lo-  
 cum. Sicut enim morbus quo hydropicus laborat:  
 assidua medicorum cura sanari potest: Sic iis ho-  
 minibus primò quidem mederi possumus: Si verò  
 cura tardē incedit inq; annum differtur, morbus  
 sensim accrescit, omnis labor vanus & irritus, &  
 medicorum cura non cassa, ut dicitur redimendā  
 iuce. Proponite vobis exemplum Monachorum.

Hi eti-

## ORATIO

**Et** etiam si dies noctesq; insomnes ducunt, et lecti-  
 cioni private incumbunt, horasq; private man-  
 dato quovis regio anteponunt. Homines tamen  
 Aristote. dato quovis regio anteponunt. Homines tamen  
 lib. 5. de. insulsi, nulliusq; numeri permanent. Hi mihi pro-  
 hist. ani- secto, Spongiis ac lepadibus persimiles esse viden-  
 mal. c. 16. tur, quæ quoniam sentire creduntur, à quibusdam  
 inter animalia numerari solent: sed cum ab eo loco  
**Plinius** cui semel nativis testis adhæserint avelluntur, non  
 lib. 9. hist. ita multò post extinguuntur. Quid ergò? Nonna  
 nat. c. 45. Zoophytis istis (ut Aristoteles appellat) iis simili-  
 mi sunt, qui nusquam locorum sciunt, nisi in lu-  
**Diog.** stro proprio vivere. At longè aliter sensere Py-  
**Laert.**thagoras, Plato, Aristoteles, Cleanthes, et infi-  
 in vit. niti alii, qui non alia de causa privata studia et pa-  
 triam reliquerunt, nisi ut varios disciplinarum  
 preceptores audirent. Quid, quod Euclides, So-  
 craticus audiendi tanto desiderio flagrasse perhi-  
 betur, ut ejus rei gratia capitis periculum etiam  
 adire sepius non dubitavit. Cum enim Athe-  
 nienses decreto suo cavissent, ut Megarensium ci-  
 vium nemo pedem in assem inferre auderet, alioquin  
 ea res illi homini capitalis esset: Erant enim Athe-  
**Gell hist.** nienses odio Megarensium majorem in modum ac-  
**Atti lib.** cepsi. Euclides tamen Megaris natus qui ante id  
**Scap. 10.** decretum frequenter, et esse Athenis et audire  
 Socratem confoverat, postquam decretum esse  
 factum audiret: Sub noctem priusquam advespe-  
 rasceret tunica longa muliebri indutus, et pallio  
 versicolore amictus velato ore et capite è domo  
 sua Megaris Athenas commeabat, ut vel noctis  
 aliquo





aliquo tempore consiliorum sermonumq; ejus fieret particeps: rursusq; sub lucem quadraginta millia passuum eadem veste tectus redibat. Odiscenti insatiabilis amor. Quis non hunc magis imitari velit, quam istos inertes ac desidiosos Monachos, qui tanquam claudi Sutores aut cochleæ perpetuo domi sedent, neq; unquam cænobii sui fines egrediuntur. Rectè equidem excellens illa philosophus animadvertit, hoc unicum esse memoriae subsidium, ut ea quæ publicè proposita sunt, privatim repetantur. Hoc enim ni fieret ingeniorum vires nulla proorsus ratione nisi socordia frangerentur. Ut enim fecundissimus ager, nisi quotidiana exerceatur cultura silvescit: sic optima ingenia, nisi perpetua exercitatione excolantur, exarescant penitus, necesse est. Et quamvis ea res non minimam præ se ferat difficultatem, et præceptorum vires nonnihil enervet et debilitet cum aliis inserviando, ipsi consumantur, verumq; sit illud quod quidam poeta refert:

Non datur ad Musas currere lata via.

Nec viam semper videamus mollissimam et planissimam, tum rosis et violis constratam, quamq; viridantes omni ex parte opacent patularum arborum comæ. Tamen cum difficilia omnium sine puleherrima, juxta vulgatum veterum proverbium, non desidentur sed crebris stimulis urgendum esse puto, ne lasi succumbamus, sed sperate tandem felicitatis metisq; quam satis copiosam studia promittunt participes fiamus. Quid enim

durius

Propert.

Ovid.  
lib. 1. de  
arte.

## ORATIO

*Curius Saxo?* Quid mollius unda & Dura tamen molli saxa cadantur aqua Et sicut illis nil nisi crebro ista incidere potest: sic iuventuti quod sapius instillatur oblivioni nunquam redditur, sed recentiter tenetur memoria, cumq; repositur, exacte redere possunt Sic demum,

Lectio lecta placet: decies repetita placebit.

Et ut dicitur: *Tantum scimus, quantum memoria tenemus.* Quod cum ex multis aliisque; penè infinitis scriptis, tum ex patrum præcipue monumentis constat, qui ea quæ publicè profitebantur in templo, à catechumenis in Scholis rursus exigebant, Non enim fuit ab illis viris de Ecclesia optimè meritè reconditum, quod sicut in semente spes messis est posita: sic totius reliquæ vitæ expectationem ab educatione pueritiæ pendere. Hinc Xenophon ille Socraticus, quem propter orationis suavitatem apem & Musam Atticam appellarunt, memoria prodidit, apud Persas olim fuisse Gymnasia in quibus adolescentes æquitatem & iustitiam docebant: Junioribus autem præcepta artium inter privatos parietes evucleabant. Quid Athenis & Annon Academia, liceum, portus omnium virtutum & artium erant officina & in his tamen Gymnasis nil tractabatur publicè, quod non domi privatim cum suis discipulis philosophiæ professores ruminarent. Omittamus hos & veniamus ad nostrates. Quanta diligentia in omnibus bene constitutis Scholis hæc duæ discipline conjunguntur, & indissolubili quasi nexu

Xenoph.  
lib. Inst.  
Cyr.

con



## SEPTIMA.

51

conglutinantur, ut si antea de Græcorum Scholis,  
 quæ quoridiè eruditissimorum hominum vocibus  
 personabant, fuerit celebratum, ad illas tanquam  
 ad bonarum artium mercaturâ omnes fuisse pro-  
 fectos, qui anteire cæteros doctrina atq; scientia  
 studebant: illud multo rectius de nostris hodiè  
 Scholis & Academicis celebrare possumus: illas esse  
 literarum domicilia, & ex illis tanquam ex equo  
 Trojano innumerabilem eruditorum prodisse co-  
 piam, qui passim per Germaniam dispersi Rebus  
 publicis & Ecclesiis utilissimè inservierunt. Sed  
 quid vetera & externa exempla congerimus, cum  
 recentium & domesticorum copia suppetat. Sumite  
 exemplū ab hac nostra schola. In hac ad extollen-  
 das lectiones publicas omnis privata doctrina &  
 disciplina accommodatur. In hac non prohibentur  
 privatæ lectiones sed stabiliuntur potius. Quam-  
 vis enim publicæ lectiones audiuntur ab omnibus  
 discipulis, Tamè multa interim relinquuntur pri-  
 vato præceptori, multa communicantur, nempe  
 auditarum lectionum repetitio: scriptorum in qui-  
 bus stylus exercetur recognitio: sed non privata  
 prorsus. His etiam aliæ & maximè utilissimæ le-  
 ctiones adjunguntur. Hic sedes virtutis, hic domi-  
 cilium literarum, hic seminarium quoddam præ-  
 stantium virorum qui vobis in itinere duces opti-  
 mi esse possunt. Hanc vos, condiscipuli suavissimi,  
 tam præclaram, tamq; magnificam laudem, quæ  
 ad hunc usq; diem crevit & floruit, vestra culpa  
 decrescere ac deflorescere patiemini? Quid est,  
 quod vos à tanta laude revocat? Vos vos  
 appela

## ORATIO

Appello prestantes ingenio adolescentes, quos illa  
 prepotens et gloriosa felicitatis via delectat, qui  
 in omni laude prestare pulcherrimum esse puta-  
 tis, huc vestra mentis aciem dirigite, ut quod pre-  
 sente magistro capere non poteritis, domi relega-  
 tis, memoriaeque mandetis. Ita fiet, ut tandem ex in-  
 doctis, docti, ex obscuris, clari, ex pauperibus, di-  
 vites, et tandem ex mortalibus immortales red-  
 damini. Musas enim, quae a poetis in certis ha-  
 bitare montibus finguntur, ibidem non invenie-  
 tis. Querite quae ubi sunt Musae Peragrate  
 Thraciam, ubi Libethra: Perlustrate Phocidem, ubi  
 Parnassus: circuite Baeotiam, ubi Helico sacrum eis  
 esse domicilium dicebatur, nunquam eas, mihi cre-  
 dite reperietis habitant enim nunc Musae, habi-  
 tant inquam in precipuis Germaniae Scholis inque  
 illis sacrarium suum augustissimum collocarunt.  
 Hic querite et invenietis. Hic doctrina satiabi-  
 mini, si non ut plerique solent, illas a limine tan-  
 tum salutetis, aut per transennam aspiciatis, sed si  
 illas ultro sese vobis offerentes, ambabus ulnis ac-  
 cipiatis. Nihil ego hic vobis (audacter dicam  
 quod sentio) praeter voluntatem necesse video.  
 Adjuvat enim vos opportunitas, qua ad discen-  
 dum vix majore esse posset. Praesto sunt praepro-  
 res, qui bonis praecunt exemplis. Suppetunt libri,  
 vocium et alia necessaria. Ac si forte his non ab-  
 undatis, non tamen egetis Urgete igitur hanc  
 tam prestantem occasionem juvenes, et repudia-  
 tis malis forsibus ad hunc locum vos conferre,

Vide  
 Strabon  
 lib. 8.

ut est,

SEPTIMA.

52

ut ex, quae moratos decent adoleſcentes perſicien-  
 tes ex omni loctione plurimum doctrinae & utill-  
 itatis hauriatis. Deinde privatim ita bonos autho-  
 res evolvatis, & ſcribendo ſtylum exerceatis ſoa-  
 deo, ut nullum omnino diem (quod ajunt) ſine li-  
 nea tranſeatis. Ita fiet, ut apertas Muſarum Januas  
 ingreſſi, Muſis ipſis ſaventibus, eo quem exopta-  
 tis ſplendore atq; dignitate ab iis revertamini. Sic  
 tandem vos omnes, tam noſtrates, quam exterarum  
 nationes, tanquam eximios prudentesq;  
 viros ſuſpicient & ad-  
 mirabuntur.

Compoſuit & recitavit Ger-  
 hardus Brochuius Ol-  
 dendorpienſis.



H O R A.

ORATIO

ORATIO  
OCTAVA CONTI-

nens gratiarum actionem  
metricam.

**E**Ximii pietate viri, rerumq; periti  
Sacrarum, q; vorum studis Ecclesiis  
flore.

Vosq; iuvat vigilare curâ tractare Tonentis  
Dogmata; q; vig. sacris dictis morentia corda  
Malcetis sancti spargentes semina verbi.

Vosq; fori proceres, patriæ q; vi jura tenentes  
Imperto populum regitis, gravibusq; superbos  
Afficitis pœnis, subjectis omnibus æqui  
Præmia larga datis decus immortale celebris  
Urbis Leuphanicæ; Musarû & fama perennis.

Vosq; viri reliq; vi multum Tritonia Pallas  
Vos docuit, multa q; insignes reddidit arte.

Hæc sunt q; vobis in æra sub flore juventæ  
Viribus ingenii, q; vâ vobis non ore diserto,  
Inq; Scholæ nostræ laudes, vestrosq; in honores  
Augustos renuicuit eantare MINERVA.  
Plurima debemus, fateor, majora requirere  
Munera vester amor, Phæbi q; vo semper auctores

Dile-

Diligitis, studijq; pii pia cœpta moveris.  
 Sed negat ingenium per paucis docibus auditum,  
 Debilitas mentis negat infirmæ, negat ætas  
 Non matura satis, rebusq; iuculta politis.  
 Hæc ætate nihil magnum, nihil auribus aptum  
 Doctis lingua sonat, numeros cum verba tene-  
 mus.

Nescimus, latice prædulcis Thebæios undæ  
 Nondū combibimus, sicut herens lingua palato.  
 Sed tamen mirera viridis licet abneget ætas  
 Perfectas vires, laudatur prompta voluntas,  
 Cœcidis crebris studij q; ve tendit ad alia,  
 Culmina Cecropij montis virtutes amore.  
 At quibus elogijs vobis remanemus honores,  
 Insignes pietate viri, virtute coruscæ,  
 Seu sacra vobis cura est, seu iura & æqui  
 Estis custodes, q; vobis & nunc laudibus astris  
 Vos cœli æq; venimus, q; vobis non remissis adire  
 Lymina parva Scholæ, placidaq; audire iuventa  
 Teneant, em q; vobis ferre q; veat, specimenq; tenella  
 Ingenij edentem? Nobis in corpore vires  
 Exigua latent, tenent nec nostra Talia  
 Pro tantis meritis grates resonare decentes  
 Sufficit in vobis nil isthoc munere dignum est.  
 Accamen, ut grates celebremus talia voce  
 Officij prædat pietas, & candor honesti.

Hæc 2.

Ergo.

ORATIO

Ergo pro meritis tantis libamus honores:  
 Aeternos, grates quod pio de corde profectas  
 Promimus innumeras: Vos multa negotia no-  
 stris

(Tancus vester amor nostri, postponere capitis,  
 Nec placidis animis coram, vultuq; benigno  
 Tactu hanc nostri studii spectare palestram,  
 Ante lupis agni jungantur, & adibus unis:  
 Cū canibus lepores habitent, & fadera jungant.  
 Antè bibat celeris Rheini, vel flumina Lani:  
 Parthus, vel rapidum exsiccet Germania Ty-  
 grum,

Quam vester nostro labatur pectore vultus.  
 Semper honos maneat vester, nomenq; decusq;  
 Aeternum vigeant florentis palladis instar.  
 Scilicet hoc praestans meruit bonitasq; favorq;  
 Vester, Apollinea turba quo castra sequentes:  
 Annis à tenoris mirâ ratione foretis.

Quid mihi si lingua centum, sine oraq; centum  
 Ingenium Tullii, virius & magna Maronis  
 Praeclaras vestras longo vix ordine laudes  
 Exequar, & dignos super addam rebus honores:  
 Viriis felices, Cumana secla Syhilla  
 Gernite: praetlari proceras, solicoq; docentes:  
 Mi/centesq; Schola semper pro more forete  
 Sic accrescet honas vester, sic gloria fama.

(Cra.



Crescet, & aternos nomen florebit in annos  
 Et nati natorum, & qui nascetur ab illis  
 Maximo vestras cantabunt carmine laudes.

Sicq; Schola nostra laus, & super aethera nota  
 Fama diu celebris toto splendebit in orbe,  
 Quale manus addunt ebori decus, aut ubi sta-  
 Argenteum, Parius ve lapis circumdatur auro.

Et tali exiti vestra bonitate Magistri  
 Quos Schola nostra fovet praeclaris artibus  
 auctos.

Nil non tentabunt vigiles, nulliq; labori  
 Parcent, quò doctas proponant gnavecer arces.  
 Mentibus ingenuis, & mores artibus addant.

Nos quoq; quae restant studio vigiliq; labore  
 Dicemus parvis addentes parva frequentes,  
 Doctrinae tandem magnum cumalemus acer-  
 vum,

Atq; viros inter doctos, doctasq; Camoenas  
 Et nostrum passim celebretur nomen in aevum.

Hae ut sic fausto procedant tramite cuncta  
 Ad te confugimus, te solum poscimus omnes  
 NATE Deo IESU, generis spes unica nostri.  
 Te vocis animi, precibus, gemituq; precamur.  
 Religionis graves mystas doctumq; Senatum  
 Ea quibus imperii sunt eradica scepera verenda.  
 Conserva clemens, verbi largire benignus

Dogma


ORAT. OCTA.


Dogmata pura tui; vigeat pax aurea nostris  
In foribus, bellumq; tuis à genibus arce.  
Tu quoq; quæis doctrinæ commissa est cura Lycæi.  
Præsidis tutare tuis, in corpore sano.  
Sanam da mentem, regas hos tua maxima cura  
Christe, patris verbum, fortiq; vè cor de labores.  
Multiplices tollant, monstrent & ad edita du-  
cant.

Nos cico doctrinâ sapiençiarum templa serena  
Sic etiam nostras rationes dirige, vicia,  
Submersam & cecâ mentem cabgure rerum  
Luce tua renova, tenebras & discute densas,  
Cælius instillans cælestis numina flatus  
Muneris ut nostri quæ sine faciamus, & alid  
Mente, sacras leges volumus, & aspera quæq;  
Undiq; cum surgunt, patienti mente feramus.  
Hinc tibi cum Genitore tuo Flaturq; sacratio  
Perpetuò gratâ canemus júbila voce.


Composuit & recitavit An-  
dreas Nigrinus Sva-  
viensis Pomeranus.











Ks 426

8

ULB Halle  
008 866 937

3



2

WM

MS



cū adultero. vel  
mfi ipa suicta sit  
p suiam vel festa  
sit crimē in iudi-  
cio. ut. j. e. de bñdco. et ex de adul. intell  
qz aut in h. c. d. r. vidē esse correctū. ut. C. d.  
qz dānatā de adulterio possumus resu  
aut. et. c. sequēti. h. illō cum spes est de co  
b. **Q**ui celat. h. verbū viciū notat. al  
**D**ixit dñs. dimiserit. qd nō h. s. e.  
**D**imit. i. ligat. et impedit. al  
iure nō possit exigē debitū a viro. id ē  
rat et remouet affectus vxoris id ē aff  
hec verba sumpta ex lege. C. de repu  
e. **S**uspicio. h. vidētur excipi due. e. i. d.  
tm excipitur vna. h. qd hic dicit uel iure  
dimit. edi sed ē modus. pbādi cām di  
fornicacō adeo qz vxor dimitatur. p  
ut liceat matri et aue. C. penl. colf.  
ratio r fornicacōis suspicō. qz pbata  
quid enim si tumeat venter in cogmte





EXERCITIUM  
ORATORIUM,  
De optima puerorum disciplina,

